DE DIONIS CHRYSOSTOMI
ORATIONIS TERTIAE
COMPOSITIONE ET FONTIBUS

DISSERTATIO PHILOLOGA

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA
GUILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XVI
MENSIS FEBR. ANNI MDCCCCI HORA XII

DEFENDET SCRIPTOR

PAULUS FISCHER
LAUENBURGENSIS

ADVERSARII ERUNT
CAROLUS ENDERS, CAND. PHIL.
CAROLUS MEURER
HERMANNUS SALTIN, DR. PHIL.

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI
MDCCCCI

PATRI

S

„Dio gleicht einer Festung, die einer langen Belagerung bedarf, man muss es sich nicht verdriessen lassen, die Aussenwerke zu nehmen, zu dämmen und zu schanzen, auch manchen Fehlschuss, manchen Schuss ohne sichtbare Wirkung zu thun. Mit Sturm und Escalade sind wohl vereinzelte Erfolge zu erlangen; meist aber werden die Stürmenden mit blutigen Köpfen heimziehen.“

Emperius, Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1842 p. 234.

De duplici studiorum Dioneorum aetatis nostrae ratione.

Studia Dionea intermissa post mortem viri doctissimi atque summopere de Dione meriti, quem supra honoris causa laudavimus, ut nostris annis rursus efflorescerent, cum aliorum tum Arnimii opera factum est. Atque ut tota studiorum antiquorum ratio ac via ferebat, versata sunt non solum in Dione emendando, sed magis etiam in inquirendis fontibus, in historia rerum atque litterarum Dioneae aetatis planius accuratiusque illustranda. Uterque autem campus late patet.

De arte critica. Alteri de Arnim operam dedit, qui editione sua ut novis auxiliis adhibitis novum post Emperium fundamentum studiorum criticorum praebuit, ita demonstravit, quam multa in tanta codicum corruptione sagacitati atque coniecturae virorum doctorum etiam relinquantur, quot loci vix umquam fore ut corrigantur sperari posse videatur. Itaque cum singularum coniecturarum, quas aut alii aut de Arnim protulerunt, in tanta verborum corruptione multae pro certa emendatione vendi non possint, de Arnim cum editione sua tum libro, quem de Dionis vita atque operibus scripsit (Berol. 1898), hoc profecit non minimum, quod recte iudicavit de historia lectionis Dioneae. Iam pridem enim viri docti invenerant nonnullarum Dionis orationum aut — quod

idem apud Xenophontem habes, de quo egit Ernestus Richter in Fleckeiseni annal. suppl. XIX, 1892, p. 122 n. 1 — initium aut finem videri deesse aut in mediis orationibus lacunas hiare. Cuius rei neque librariorum neglegentia neque iniquitas temporum causa est, sed quod non perfectae orationes nobis traditae sunt, sed schedulae tantum ab oratore ipso aut ab audientibus conscriptae aut eiusdem orationis saepius compluribus in urbibus a Dione habitae duplicis vel triplicis recensionis reliquiae ad nostram aetatem servatae sunt. Cum enim Arnim orationis Troianae duplicem recensionem (§§ 22—24) iam in editione sua indicasset, in oratione tertia idem inveniri intellexisset quamquam sero a Wilamowitzio monitus, in libro s. l. pp. 170 sqq. 195 sqq. quantum non modo ad textum Dionis emendandum, sed etiam ad consuetudinem atque rationem sophistarum et philosophorum illius temporis hoc interesset, luculentissime exposuit. Atque ego quidem cum exemplo orationis Troianae adductus iam antea mihi persuasissem tertiae orationis eandem esse condicionem et in hanc rem accuratius inquirere coepissem, postea vidi et Ioannem Wegehaupt excursu dissertationis suae, quam scripsit de Dione Chrysostomo Xenophontis sectatore, Gothae 1896, pp. 70—80 et ipsum Arnimium, qui tamen Wegehauptii mentionem non facit, libri sui pp. 414—430 idem temptasse. Sed cum ab utroque viro docto rem nondum absolutam esse putarem, operam atque oleum haud plane perdidisse mihi visus sum, si etiam mea proferrem.

De historia litterarum. Sed antequam ad tertiam orationem accedamus, de altera quam supra dixi studiorum Dioneorum via paucis dicendum videtur, cuius auctorem atque principem praematura morte nobis ereptum esse dolemus Ferdinandum Duemmler. Qui cum iam in Antisthenicis (1882) Dionem ex Antisthene multa hausisse probare sibi posse videretur, in eadem re in Academicis suis (1889) alibique probanda, amplificanda, defendenda contra adversarios multos nec contemnendos, quorum in numerò nominandi sunt Wegehaupt l. c., Carolus Hahn, ‚De Dionis Chrysostomi orationibus, quae inscribuntur Diogenes', diss. inaug. Homburgi 1896 nec non Hirzel in libro qui inscribitur: ‚Der Dialog', perseveravit. Hi enim Dionem minus Cynicum esse putant quam Duemmler. Duemmlerum secuntur Paulus Hagen, Philol. L, nov. ser. IV (1891) pp. 381—384, qui antea (Quaestiones Dioneae, diss. inaug. Kiliae 1887, p. 82 sent. controv. nr. 1) dubitaverat,

Carolus Ioël, ‚Der echte und der Xenophontische Sokrates', tom. I, Berol. 1893, p. 3 sq. et all. ll., Sonny, ‚Ad Dionem Chrysostomum Analecta', Kioviae 1896, qui gratissimum fecit omnibus, qui Dioni operam dant, quod in parte tertia, quae animadversiones varias continet, p. 131—229, quae ubique a recentioribus de Dione scripta sunt, diligentissime collegit. Ita autem haec tota res minime absoluta est, ut quaestionibus Xenophonteis ipsis quoque fluctuantibus mixta in dies potius difficilior et intricatior fieri videatur. Armamentarium amplissimum huic certamini praebuit Ernestus Weber, qui in studiorum Lipsiensium tomo X (1887), inde a p. 77 usque ad p. 268 de Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore scripsit. Hac autem de causa eiusmodi quaestiones difficiliores sunt, quod Dio haud ita pingui ingenio est, qui ad verbum fontes suos imitetur, sed potius multa mutavit, de suo addidit. Caute itaque et raro de Arnim hanc rem tetigit, paucis Hirzelio obstitit. Atque recte mihi iudicasse videtur vir doctissimus, cum has quaestiones accurata singularum orationum enarratione quasi certiore fundamento niti voluit, ut ipse in oratt. III et XI fecit. Singulis locis et similitudinibus non semper in hac provincia satis profici Hirzel et Hahn pp. 3 sq. iure monent.

Tamen postquam orationis tertiae compositionem percensuerimus, quid de fontibus statuendum sit, temptabimus; qua in re si dubitanter procedentibus non semper contigerit, ut ad eum quem ipsi volueramus finem rem perducamus, ex his quae sumus praefati venia petatur, plura atque certiora videant alii.

I. De compositione orationis tertiae.

Optime de Arnim de tempore, quo singulae orationes a Dione vel scriptae vel habitae sunt, constituendo meritus est. Constat orationem tertiam non Vespasiano, ut Arethae scholia (Sonny, Analecta p. 98) tradunt, sed Traiano imperatore habitam esse, ac mihi quidem satis probavit de Arnim habitam post orationem I, nec non placet sagacissima eiusdem coniectura (pp. 400—405) orationes IV et III quasi gratulatorias primum recitatas esse coram ipso imperatore in magna virorum illustrium contione solemni die festo geniali, i. e. natali, Traiani, a. d. XIV. Kal. Oct., atque or. IV a. p. Chr. CIII, or. III a. CIV.

Eam scimus ex Platonis Protagora esse artem sophisticam, quae de omnibus rebus prout aut oratori in mentem veniant aut ab audientibus proponantur, statim sine meditatione loqui sciat. Itaque Dio quoque aliique eius modi scriptores saepe non certum rerum ordinem secuntur, sed aberrant quasi a via (πλανῶνται ἐν τοῖς λόγοις: Dio XII 16. 38. VII 1. 127—129. de Arnim pp. 439—443) aut etiam consulto narrationibus magis delectare animos quam severis philosophiae praeceptis admonere se velle fingunt. Itaque a lepida narratiuncula vel in ipso illustri illo quem diximus consessu incipere voluit.

§ 3. Wegehaupt post verba: ἐλέγχους ὑπολαμβάνων εἶναι τῆς ἀρετῆς conexum interrumpi putat ita, ut Dio subito de boni regis statu loquatur. At nonne etiam sequentia laudes imperatoris sunt? Arnimii verbis p. 415 plane accedo. Cur duplex appellatio αὐτοκράτορ Emperium et Wegehauptium p. 70 offendat, non intellego. Verbo αὐτίκα Dio primum argumentum indicare solet, veluti sententia § 62 multis exemplis illustratur: 1) § 63: αὐτίκα ἐν νηὶ . . ., 2) § 66: ἕν γε μὴν . . . 3) § 68: πάλιν δὲ . . . 4) § 70: καὶ μὴν . . . 5) § 73: τὸ δὲ μέγιστον . . .; item § 21: αὐτίκα . . . πάλιν . . . ἣ ὁ . . . ὁ δὲ αὖ § 92: αὐτίκα τείχη . . . cf. Xen. mem. IV 7_2 Hier. 2_7.

Nostro loco secundum argumentum additur verbis ἐπειδὴ δὲ .... Laudat enim Dio, quod Traianus non solum praecepta philosophiae sequitur, sed etiam ipse libris antiquorum philosophorum legendis operam dat. (De v. οἱ παλαιοί, ἡ ἀρχαία φιλοσοφία etc. v. infra pp. 33 sqq)[1]. Itaque non cum Wegehauptio scribendum est: ἐπειδὴ omissa part. δέ (p. 70, 1).

§ 9. de Wilamowitz in dubitationem vocavit, quem secuntur de Arnim p. 415 et Wegehaupt p. 70. Sed subtilius, puto, de Arnim distinguere voluit inter §§ 8 et 9. §§ 9. 10 non de Traiano, sed de bono rege („vom idealen Könige") esse. At nonne ipse expressis verbis dixit etiam priora de bono rege quocumque dicta esse, quadrare tamen ad Traianum? nonne etiam haec (§§ 9. 10) a Traiani moribus aliena non sunt? Si Arnimium audies, usque ad § 8 Dio de beatitudine regis dicit, §§ 9 et 10 demonstrat virtute regi opus esse — immo iam inde a verbis

---

[1] Hoc loco non alienum videtur afferre Themistii locos, qui reges non vult ipsos philosophari, sed tantum philosophorum consuetudine frui *Ἄνωθεν enim inquit or. VI p. 72a sq., ὦ βασιλεῖς, εὔνοια καὶ συγγένεια βασιλείᾳ πρὸς φιλοσοφίαν ἐστὶ καὶ ἐπὶ τὴν αὐτὴν χρείαν κατέπεμψεν ὁ θεὸς ἀμφοτέρας εἰς τὴν γῆν, ἐπιμελεῖσθαι καὶ ἐπανορθοῦσθαι τοὺς ἀνθρώπους, τὴν μὲν διδάσκουσαν τὰ ἀγαθά, τὴν δὲ χορηγοῦσαν. Magis etiam huc pertinet or. VIII p. 107c sq.: Πλάτων μὲν οὖν, εἰ καὶ τὰ ἄλλα πάντα θεῖος καὶ αἰδοῖος, ἀλλὰ τοῦτόν γε ἀτεχνῶς ἀποκεκινδυνευμένως προήκατο λόγον, ὅτι μὴ πρότερον τὰ κακὰ λήξει τοῖς ἀνθρώποις, πρὶν ἂν ἢ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἢ βασιλεῖς φιλοσοφήσωσιν. ἐλήλεγκται δὲ ὁ λόγος καὶ δέδωκεν εὐθύνας τῷ χρόνῳ. ἄγασθαι δὲ ἄξιον Ἀριστοτέλην, ὅτι μικρὸν τὰ Πλάτωνος ῥήματα μεταθεὶς τὸν λόγον πεποίηκεν ἀληθέστερον φιλοσοφεῖν μὲν τῷ βασιλεῖ οὐχ ὅπως ἀναγκαῖον εἶναι φάσκων, ἀλλὰ καὶ ἐμποδών, τὸ δὲ φιλοσοφοῦσιν ἀληθινῶς ἐντυγχάνειν εὐπειθῆ καὶ εὐήκοον. ἔργων γὰρ ἀγαθῶν τὴν βασιλείαν ἐνέπλησεν, οὐχὶ ῥημάτων κτλ. Verbum Platonis celeberrimum, quod est in eius Πολιτείᾳ, ut ab ipso Platone (Politic. 305 d: τὴν γὰρ ὄντως οὖσαν βασιλικὴν οὐκ αὐτὴν δεῖ πράττειν, ἀλλ' ἄρχειν τῶν δυναμένων πράττειν), ita etiam a Stoicis paululum si non inflexum, at tamen mitigatum esse locis allatis docet Iulius Kaerst, ‚Studien zur Entwickelung und theoretischen Begründung der Monarchie im Altertum' = Historische Bibliothek. Herausgegeben von der Redaktion der Historischen Zeitschrift. vol. VI. München-Leipzig. 1898. p. 71 n. 1. 2. Sed etiam aliud Zenonis affert idem Themistius XIII p. 171 d: ὀρθῶς γὰρ ὑπελάμβανε Ζήνων ὁ Κιτιεὺς βασιλικωτέραν εἶναι τῆς ἀγχινοίας τὴν εὐπείθειαν = VIII p. 108 c. = fr. 196 Pearson.

τοῦ γὰρ ἄρχοντος (§ 6) mea quidem sententia hoc Dio dicit. Neque enim iam de beatitudine regis loquitur, sed virtutes regi utiles esse ait, quia populus regem imitatur (§§ 7. 8). Hoc modo si totum locum interpretamur, omnia recte procedunt: etiam populum regis exemplo adductum virtutem sequi probat Homerus; γάρ autem illud (§ 9: ὁ γᾶρ τοιοῦτος βασιλεὺς κτλ.), quo tam offenditur de Arnim, non id quidem, quod recte vidit, versum Homericum excipit, sed ad totam sententiam (§§ 6 sqq.) se applicat: ‚genius hominum privatorum parvus atque imbecillus est, quippe qui ad alios non pertineat (ὁ δαίμων . . . μόνον τοῦ ἔχοντος), regis omnium communis; regis enim virtutes aliis exemplo sunt, itaque multo pluris interest regem virtutibus excellere quam ceteros. Namque virtutes non solum quasi ornamentum vitae ei sunt, sed plane necessariae (§ 9 extr.)‘. Iam id quattuor virtutibus enumeratis demonstratur.

§ 12. Sequitur locus a multis temptatus § 12 (Arnim p. 417, Sonny, Analecta, p. 162, qui priores affert). Wegehaupt haec verba eiecit (p. 71). Monuit me Usener leni mutatione pro λέγεσθαι scribendum esse ἐλέγχεσθαι, ita ut hic verborum sensus procedat: ‚Hoc dico non ignorans fieri non posse, quin quae nunc dixerim in dies magis probentur‘ (scil. rebus a Traiano gestis).

§§ 12—25. Sequentia bene cohaerent: ‚In regis virtutibus enumerandis (§§ 10. 11) adulatio exprobrari mihi non poterit, quippe qui iam dudum demonstraverim, quantum ab adulatione abhorream‘. Sed non minus ad haec verba se applicat § 25: ἵνα δὲ μήτε ἐγὼ κολακείας αἰτίαν ἔχω κτλ. Utram autem duarum recensionum, quae inter se discrepant, ut recte Wegehaupt animadvertit, sequamur, dubium non est. §§ 12—24 enim de adulatione agitur nulla Traiani aut regis boni ratione habita. Itaque hanc partem ne ex alia oratione περὶ βασιλείας quidem depromptam esse cum Arnimio contenderim, cum iam Wegehaupt similem locum orat. L 8 adhibuerit. Ceterum ad § 18 conferas Plutarchi mor. p. 65 B.

Vix quemquam probare existimo Wegehauptium, qui verborum sonitu adductus § 25 (κολακείας) ad § 3 mediam adiungere vult: αὐτίκα τὰς μὲν ἀλόγους ἡδονὰς ὑποπτεύεις καθάπερ ἀνθρώπους κόλακας, τοὺς δὲ πόνους ὑπομένεις ἐλέγχους ὑπολαμβάνων εἶναι τῆς ἀρετῆς. Toto enim caelo sententiae discrepant! §§ 3 med. — 24 Wegehaupt curis posterioribus in-

sertas esse putat. Cf. quae supra p. 6 sq. de αὐτίκα et ἐπειδὴ δὲ diximus.

§§ 25—50. ‚Sed ne adulari videar', Dio pergit § 25, ποιήσομαι τοὺς λόγους ὑπὲρ τοῦ χρηστοῦ βασιλέως, ὁποῖον εἶναι δεῖ καὶ τίς ἡ διαφορὰ τοῦ προσποιουμένου μὲν ἄρχοντος εἶναι, πλεῖστον δὲ ἀπέχοντος ἀρχῆς καὶ βασιλείας. Sed ut mos est ἀνδρὶ ἀλήτῃ, priusquam re vera incipiat, sermonem interponit a Socrate de rege Persarum habitum et quae Socratici (οἱ μετ' αὐτὸν § 42) de variis reipublicae formis dixerunt. Tandem sero atque sane πολλὰ ἀληθεὶς ad propositum redit § 49 sq. τούτων μὲν ὁ λόγος ἄλλως ἐπεμνήσθη πολλὰ παθήματα καὶ συμφορὰς ἑκάστης αὐτῶν ἐκ τοῦ πρότερον χρόνου δεῖξαι δυνάμενος· περὶ δὲ τῆς εὐδαίμονός τε καὶ θείας καταστάσεως τῆς νῦν ἐπικρατούσης χρὴ διελθεῖν ἐπιμελέστερον.

Fontem igitur Dio hoc loco sequitur, in quo non solum de regno et tyrannide, sed etiam de ceteris reipublicae generibus accuratius disputatum erat. At quid hoc loco dicit? Dicit se de bono rege solo disputaturum esse omissis ceteris reipublicae generibus, omissa etiam tyrannide! at tamen antea § 25 dixerat sese demonstraturum esse, quibus rebus tyrannus a rege differat. Vides igitur § 50 novam dispositionem indicari, quae pugnat contra eam, quae § 25 continetur. Itaque quaestio instituenda erit, utram dispositionem reliqua pars orationis sequatur, num fortasse utramque. Ac primum quidem verba πολλαὶ μὲν οὖν εἰκόνες orationem praecedentem bene excipiunt. De rege bono enim dicturus est; sed ne longus sit et a proposito nimium digrediatur, multas imagines (§ 50)[1], quae in fonte eius ad regem adhibebantur, ex gregibus vel apibus sumptas praetermittit. Sic puto facilius haec verba explicari atque minus artificiose quam qua Wegehaupt p. 79 sq. instituit ratione: Dionem ille dicit ex collectaneis, quae sicuti Plutarchus de singulis vitae humanae rebus composuerit, ceteris omissis unum eligere.

Interruptus est § 50 locus de rege Iovis imitatore, ut de Arnim iam in Hermae vol. XXVI demonstravit, qualem habes I 37. XII 75, sive a librario (de Arnim l. l., idem edit. praef.

[1] de pastore iam dixit § 41. cf. etiam I 17. IV 43.

p. XXVII, libri sui p. 419) sive ab ipso Dione (Sonny p. 163) omissa.

§§ 51—55. Integra est pars de rege deorum cultore (§§ 51—55 χαριζόμενος αὐτῷ).

Sequitur altera eaque maior περὶ ἀνθρώπων ἐπιμελείας.

§§ 55—57. Duplicem recensionem duabus sententiis verbo ἅτε incipientibus (§§ 55 sq.) subesse iam recte animadvertit Iacob Geel ad Dionis Chrysostomi Olympicum (Lugd. Batav. 1840) p. 152. Arnimii coniecturam εὐεργεσίας Wegehaupt p. 72, n. 2 refutasse mihi videtur; quod ipse profert ⟨ταύτας⟩ τὰς ἐργασίας probabile est. Idem verba οὐδεὶς γὰρ (§ 56) cum verbis ἅτε ὑπὸ τοῦ μεγίστου θεοῦ . . . ἄχθεσθαι (§ 55) coniungi non posse vidit, sed hanc alteram esse recensionem, qua non de naturae ordine, sed de dei maximi, i. e. Iovis (§ 50) imperio dicitur. Quod cum iam Geelius animadverterit, Wegehaupt p. 72 optime de hoc loco egit, quem plane sequor. De Arnim hanc rem omnino non tangit. Recte Wegehaupt demonstravit neque verba § 56 in. ἅτε — εὐεργεσίας neque § 57 extr. ὁρᾷ γὰρ — πράττει secludenda esse. Verba enim οὐδεὶς γὰρ οὕτω μαλακὸς cum fine § 55 coniungi nequeunt, sed cum praecedentibus cohaerent. Duae enim sunt rationes neque eae coniungendae: altera de mundi ordine § 55: ἅτε ὑπὸ τοῦ μεγίστου θεοῦ ταχθεὶς ἐπὶ τοῦτο τὸ ἔργον, ᾧ ἀπειθεῖν οὐ θέμις οὐδὲν οὐδὲ ἄχθεσθαι, quam excipi infra videbimus verbis §§ 62 sqq. ὁρᾷ γὰρ ὅτι πανταχοῦ τὸ βέλτιον τοῦ ἥττονος ἔταξεν ὁ θεος προνοεῖν τε καὶ ἄρχειν κτλ., altera de labore ipso homines delectante (§ 56. 57).

§§ 58—61. Quaeritur, num §§ 58—61 suo loco nobis servatae sint, quas et Wegehaupt et de Arnim ut a nostra oratione alienas eiciunt; sed ille recte cognovit, cum his paragraphis etiam § 25 reiciendam esse, qua, ut vidimus, dispositio orationis indicatur; neque non omnes eos locos, quibus de tyranno regi bono contrario dictum est. Ut enim Dionis quidem hos locos esse contendant ambo viri docti, sed ex alia περὶ βασιλείας oratione sumptos vel ex partibus orationis, quales or. LXII nobis traditae sunt, ea re adducti sunt, quod de tyranno paucis tantum locis dici eis videtur, ita ut non tota orationis dispositio rege et tyranno niti possit. Dubito, num recte iudicarint viri docti. De tyranno exemplo regis Persarum adhibito satis copiose dictum

est §§ 30—42, de tyranno Dio loquitur § 44. §§ 58—61. §§ 116 sq. § 118. §§ 133 sq.

§§ 58—61 nova res tractatur: vitam regis vitae tyranni eo praestare demonstratur, quod tyranno quoque fortitudine, temperantia, continentia opus est, hae autem virtutes facilius cum iustitia quam cum iniuria exerceri possunt. Concedent omnes haec verba et a praecedentibus et a sequentibus plane aliena esse. Unde tyrannus? Unde quattuor virtutes? Vix meminimus § 10 similia dicta esse. Porro inspice finem huius loci § 61: οὐκοῦν καὶ ἡδίονα ἀνάγκη τὸν βίον εἶναι τοῦ ἀγαθοῦ βασιλέως. ‚Etiam iucundior necessario vita regis boni est quam tyranni.‘ Haec verba sana esse non possunt, nisi antea demonstratum erat virtutes omnes in rege bono inesse, maxime autem iustitiam, qua caret tyrannus; quae si exposuerat, pergere poterat: ‚non solum iustior vita regis est, sed etiam iucundior.‘ Illa autem pars nobis servata non est. Sed tantum statuendum est Dionem §§ 58—61 ad priorem propositionem § 25 relabi.

§§ 62—84. Ad § 62 procedentes rursus reicimur ad eam quam modo reliqueramus disputationem, quae est περὶ ἐπιμελείας ἀνθρώπων. Itaque eo minus dubitabis, quin recte supra cum Wegehauptio § 62 cum fine § 55 coniunxerimus. Sed minime nunc difficultatibus liberati sumus. §§ 62—85 Wegehaupt p. 73 breviter tractavit. Recte animadvertit similem exitum p. 74: καὶ ταῦτα οὐδέποτε κάμνει χαριζόμενος — quibuscum conferas velim antecedentia, imprimis verba § 73: ὅτι δὲ οὐκ ἀναίνεται δι' αἰῶνος ἡμῖν ὑπουργῶν κτλ. — et § 81: καὶ ταῦτα μηχανώμενος δι' αἰῶνος οὐδέποτε κάμνει. Gravius etiam est, quod, quae § 74 brevius disputantur, eadem fere accuratius tractata inveniuntur §§ 77—81, id quod de Arnim p. 423 cognovit. Usque adhuc cum viris doctis adsentiar, in ceteris plane ab iis dissentiendum mihi esse fateor. Quod enim de Arnim verbis § 75 in. ἤ πού γε δουλείαν δουλεύειν φαίη τις ἂν πάνυ ἰσχυράν antecedentia concludi putat et post ἰσχυρὰν lacunam statuendam esse, mihi quidem lacuna ante ἤ πού γε exstare videtur. Ipsum asyndeton mirum est; credo sententiam excidisse eius fere formae, qualem habes § 82 in.: ὅπου δὲ θεὸς ὁ πάντων κάλλιστος καὶ φανερώτατος κτλ., quam excipiunt verba ἤ πού γε ἄνθρωπον κτλ. Optime autem contra Arnimium contendo verbis εἰ γὰρ καὶ σμικρὸν κτλ. causam indicari, quare

solem servitute gravissima affectum esse quispiam dixerit; verba καὶ σμικρόν premenda sunt: ‚Eum iure servum dixeris, cui ne minimum quidem de officio praescripto discedere liceat.'

Dio § 82 cum de sole satis dixerit, repetit, cur haec omnia dicta sint, scil. ut solis exemplo probetur regem laborum non pigere; atque extremis § 82 verbis haec orationis pars finita est. Sequentibus labores non solum necessarios esse ait, sed etiam iucundos, voluptatibus homines relanguescere et ad novam partem transit verbis § 83: κατανοεῖ δὲ κτλ. Hoc loco cur conexum bonum non esse putet Wegehaupt p. 73, plane me non intellegere fateor. Ceterum hic locus tyrannidem omnino non tangit, quamquam opinatur Wegehaupt p. 79. Immo disertis verbis Dio § 58 dixerat temperantia, prudentia, fortitudine tyranno non minus opus esse quam regi bono.

Sed haec ultima verba inde ab initio § 82: ὅπου δὲ usque ad finem § 84 non minus cum § 74 quam cum § 81 coniungi possunt. Itaque dixeris fortasse, cum exemplum solis duplici ratione expressum sit, et §§ 73. 74 et §§ 57 extr. 75—81, et in illa recensione praeter solem alia quattuor tractata exempla, scil. gubernatoris, ducis, animi, viri, in hac unum tantum solis idque accuratius, nunc inde a § 82 ad simplicem formam nos reduci. Hoc modo si quis disputet, tamen una res suspicionem mihi movet atque impedit quominus adsentiar.

§ 85. Relinquitur enim § 85, quam ad § 67 pertinere de Arnim p. 424 et Wegehaupt p. 73 perspexerunt. Sed cur haec verba ex § 67 huc traiectae sint, hic explicare omnino supersedit, ille explicandi modum instituit artificiosiorem quam veriorem. Verba § 67 καὶ γὰρ δὴ . . . αἱροῦνται interpolata esse putat Wegehauptio adsentiente. At propter hanc interpolationem, de qua dubito, et quia locum quaerimus, quo § 85 inseratur, num orationem, quae quinque exemplis §§ 62—74 optime procedit, interrumpere et in duas recensiones disicere licet? Accedit, quod § 85 ne apta quidem est verbis, quae leguntur § 67; ibi enim de cura (περὶ ἐπιμελείας) dicitur, § 85 de labore.

Fortasse igitur hoc orationis frustulum non casu huc aberravit, ut de Arnim opinatur, sed, cum § 67 inseri non possit, particula est partis alicuius deperditae, qua simili modo atque §§ 62—74 demonstratum erat iis, qui superiorem aliquem locum teneant, maiores quam ceteris labores esse subeundos, veluti duci et

aliis. Quod si recte conieci — quamquam hanc rationem tantas difficultates explicandi omni dubitatione certiorem esse ne ipse quidem contenderim —, Dio non modo solis argumentum retractavit, sed etiam alia veluti ducis. Quo autem melius sententiam nostram probemus, restat ut explicemus, quo tandem modo ordo rerum, qui est in nostris codicibus, natus sit.

Recensio prior huius partis integra nobis servata esse videtur, cuius esse puto §§ 55. 62—74. 82—84. Alia est ratio locorum retractatorum; nam neque § 75 cum § 57 coniungi potest, nisi lacunam intercedere putas, et § 85 plane omni conexu soluta est. Itaque haec retractatio aut ab ipso Dione perfecta non est, sed praeter recensionem priorem integram singulae tantum schedulae ab redactore inventae sunt aut redactor ipse, cum duabus recensionibus in unam contrahendis frustra operam daret, alterius multa resecuit. Sed quocumque modo res se habet: in eadem schedula, in qua §§ 56. 57 scriptae erant, aut certe una cum hac schedula casu quodam ab redactore inventae sunt §§ 58—61; ille autem conexum, qui est inter § 55 et § 56 cum vidisset, neglegentius etiam §§ 58—61 adscripsit, quae a proposito abhorrent. Idem propter affinitatem, quae inter § 74 et §§ 75 sqq. intercedit, has paragraphos post § 74 inseruit. Suspicor autem Dionem, cum hanc partem retractaret, a sole initium fecisse (§§ 57. 75—81) et deinde ad negotia humana transire voluisse, veluti ducis. Redactor autem solis exemplo absoluto rursus recensionem priorem secutus est. Retractationis reliquias praeter solis exemplum paucissimas invenit, fortasse praeter §§ 123—127, de quibus infra dicendum erit, unam tantum schedulam § 85; quam haud felici manu post § 84 addidisse eum quis est qui neget?

Sequitur §§ 86—122 περὶ φιλίας disputatio.

§§ 90. 91. Duplicem §§ 90 et 91 recensionem de Arnim iam in editione notaverat. Verba, quibus differunt, nullius momenti esse putat p. 427. Sed hoc quidem dixerim verba § 90 exaggerata § 91 paulo mitigari.

Cf. § 90:	§ 91:
τέρψιν οὐδεμίαν	οὐ πάντως ἡδονήν τινα
συμφέροντα δ' οὔ·	οὐκ εὐθὺς διὰ τοῦτο καὶ συμφέροντα
τὰ πλεῖστα τῶν ἡδέων	πολλὰ τῶν ἡδέων.

Qua de causa quamquam interpolatoris sive imitatoris haec non esse de Arnim pro certo minime probavit, tamen ego quoque Dionis esse puto, ita ut § 91 curis posterioribus adscribatur[1].

Verbis §§ 92. 93 exemplis illustrantur, quae § 90 vel 91 eodem fere modo dicta sunt. Quaeritur, utri formae adiciendae sint hae duae paragraphi. Is autem, qui § 90 scripsit τῶν μὲν ἄλλων κτημάτων, putandus est mox ad id festinare, quo μὲν illud referatur, i. e. ad § 94 μόνῃ δὲ τῇ φιλίᾳ. § 90 igitur excipitur verbis § 94, §§ 91—93 alterius formae sunt.

Tum exponitur, quare amicitia utilissima sit eademque iucundissima: ‚Primum enim (εὐθὺς = αὐτίκα §§ 3. 63. 92, cf. supra p. 6.) necessaria illa sine amicitia utilia non sunt, immo etiam periculosa. Deinde (καὶ μὴν § 96), quae iucunda dicuntur, ne ea quidem sine amicitia iucunda sunt‘.

§§ 97—101. § 100 de Arnim orationem ad utilia dicit relabi, itaque conexum turbatum esse putat; Wegehaupt illum secutus recensionis brevioris §§ 90. 100. 101 esse dicit, longioris §§ 91—99. Utraque recensione eandem sententiam probatam esse vult. Sane si quis minus accurate inspiciat, credat fortasse § 100: καὶ μὴν τά γε ὠφέλιμα φάρμακα τοῖς μὲν νοσοῦσιν ὠφέλιμα, τοῖς δὲ ὑγιαίνουσι περιττά, pertinere ad § 95: καὶ ταῦτα μὲν ἐν πολέμῳ μόνον χρήσιμα, τοῖς δὲ ἀεὶ βιωσομένοις

---

[1] Saepius apud Dionem tali modo res retractantur similibus verbis; aliud exemplum, quod invenitur or. XI §§ 22—24 de Arnim recte cognovit, non cognovit eandem condicionem or. XXXII § 33 sq., Emperius verba καίτοι τάχα — ἡσυχάσασιν damnaverat, de Arnim eadem § 25 p. 275 4 edit. suae transposuit. Mihi potius duplex recensio videtur exstare sic scribenda:

I	II
§ 33 p. 276 9 Arn.: τί οὖν; τάχα ἐρεῖ τις, τοῦτο μόνον ἁμαρτάνομεν καὶ περὶ τούτου μόνου λέγεις ἡμῖν, ἄλλο δ' οὐθέν; ἀλλὰ δέδοικα, μὴ (δέδοικα ἅμα codd.) τὸ περὶ πάντων	p. 276 11 καίτοι τάχα φήσει τις . . . 276 17 ἀκούειν. Secuntur interpolata: [ὥστε εἰ . . . 276 20 ἡσυχάσασιν]. § 34. καὶ μὴν περί γε τῶν ἄλλων τὸ μὲν πάντα

276 11 = 276 21 ἐπεξελθεῖν

276 21 καὶ ταῦτα ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ κτλ.

Verba enim ὥστε . . . ἡσυχάσασιν (276 17-20) nostro loco cum Emperio et Dindorfio interpolata esse puto, gemina § 30 p. 275 13-15, id quod nunc probare longum est.

ἐν εἰρήνῃ, ἂν ᾖ δυνατόν, ἀχρεῖα καὶ βαρέα. At minime pertinent. Supra enim, ut diximus, probatur omnia, quae aut utilia aut iucunda sint, amicitia demum utilia vel iucunda fieri, sine amicitia neque utilia neque iucunda esse. § 100 plane diversa est ratio dicendi. Hic enim demonstraturus est amicitiam semper utilem esse. Neque enim verbo ὠφέλιμα, sed verbo ἀεὶ argumentatio nititur; ὠφέλιμα etiam deesse poterat neque ullius ad summam sententiam momenti est. Sed non video, cur hanc vocem cum Arnimio in suspicionem vocemus. φάρμακα § 100 nihil est nisi simile, quocum amicitia comparatur. §§ 94 sqq. autem non id agitur, ut res adferantur, quibuscum amicitiam comparare possis, sed ut sine amicitia nihil utile esse demonstretur. Similitudo igitur horum locorum non sententiae, sed verborum est, qualem intercedere inter §§ 3 et 25 supra p. 8 vidimus et infra videbimus inter §§ 87 et 104—107 (p. 17), 100 et 109 (p. 18). Particulis καὶ μὴν nova res inducitur, cf. supra p. 6.

Sed si conexus §§ 99 et 100 integer esse videbatur, alia est condicio § 101. Sententia quattuor membris satis copiosa § 100: ἡ συμφυλάττει μὲν πλοῦτον, ἐπαρκεῖ δὲ πενίᾳ, λαμπρύνει μὲν δόξαν, ἀμαυροῖ δὲ ἀδοξίαν, ad concludendam partem orationis aptissima est. Sequentibus vero idem rursus dicitur, etiamsi latius pateant voces ἀγαθὰ et δυσχερῆ quam δόξα et ἀδοξία. Sed si a minore ad maius, a specie ad genus Dio processurus erat, sic fere post αὔξει oratio continuanda erat: παντάπασι γὰρ vel πανταχοῦ γὰρ (cf. § 62) ἡ φιλία τὰ μὲν δυσχερῆ πάντα μειοῖ κτλ. Sed quomodo in textu tradito verba iunguntur? Quasi plane nova pars incipiat: μόνον δὲ τοῦτο κτλ. ,Amicitia gloriam auget, minuit infamiam'. Pergit: ,Sola autem amicitia . .'! Verbis μόνος δέ, μόνη δέ, similibus apud Dionem nova pars saepius introducitur; cf. § 94: μόνῃ δὲ τῇ φιλίᾳ κτλ. § 123: μόνος δὲ κτλ. (Cf. Xen. Ages. 11_{14} Aristid. or. XXVII Keil = XVI ord. pr. § 32. vol. II p. 132, 5 Kl = I p. 244, J = I p. 395 Ddf.: μόνοι δὲ πάντων οὗτοι . .)[1].

[1] Saepius etiam sententiae forma adiectivi μόνος quacumque incipiunt in hoc litterarum genere:

[Aristid.] Εἰς βασιλέα or. IX Kl. = XXXV ord. pr. § 13. II p. 256, 4 Kl. = I p. 59 J. = I p. 102 Ddf.: μόνῳ γὰρ δὴ καὶ τοῦτο . . .

Themist. I p. 9a: μόνος γὰρ οἶδεν ἀκριβῶς . . .

— V p. 67b: μόνος γάρ, ὡς ἔοικεν, οὐκ ἀγνοεῖς . . .

Ac si cui non sufficiat haec nostra argumentatio, quid sequentia? Nonne ne ea quidem apte cohaerent? Sequenti enuntiato § 101: ποία μὲν γὰρ συμφορὰ δίχα φιλίας οὐκ ἀφόρητος, ποία δὲ εὐτυχία χωρὶς φίλων οὐκ ἄχαρις; ea, quae singulis exemplis § 97: ποία μὲν γὰρ εὐφροσύνη προσφιλής . . ., ποῖον δὲ συμπόσιον ἡδὺ χωρὶς εὐνοίας τῶν παρόντων; ποία δὲ θυσία κεχαρισμένη θεοῖς ἄνευ τῶν συνευωχουμένων[1]; exposita erant, hic brevius complectitur Dio et contrarium addit.

Verba vero § 101: εἰ δὲ σκυθρωπὸν ἐρημία κτλ. plane repetunt, quae iam § 96 dicta sunt. Quod autem de Arnim et Wegehaupt haec verba eiciunt, concedo § 102: ἐγὼ μὲν γὰρ κτλ. ad verba ποία . . . ἄχαρις se applicare, tamen illo additamento haud ita conexus interrumpitur, ut ferendum non sit. Immo a Dionis modo non abhorret eiusmodi deflexio orationis. Cum enim orationem iterum et tertium aliis locis aliis audientibus repeteret (de qua re v. quae docte disputavit de Arnim pp. 171 sqq.), facile fieri poterat, ut de solitudine cum suo loco dicere oblitus esset, hic verba insereret, adductus puto verbis χωρὶς φίλων antecedentibus.

Vidimus igitur duplicem recensionem, quam iam §§ 90. 91 invenimus h. l. redire, ita ut inter se congruant § 94 εὐθὺς — § 100 et § 101, vel, ut accuratius indicemus:

§ 100 extr. ἢ . . . ἀδοξίαν	§ 101 in. . . . αὔξει
§§ 97—99	§ 101 ποία γὰρ . . . ἄχαρις;
§ 96 καὶ μὴν κτλ.	§ 101 εἰ δὲ . . . κρείττων.

Itaque recte Wegehaupt p. 73 n. 1 sensit verba μόνῃ δὲ τῇ φιλίᾳ συμβέβηκεν ἁπάντων μὲν εἶναι συμφορώτατον, ἁπάντων δὲ ἥδιστον, alteri quoque recensioni § 101 necessaria esse, sed perperam fecit, quod ex optimo conexu medio sustulit. Utri-

---

Cum autem Dio et ceteri, quos attulimus, scriptores Cynicorum nec non Stoicorum doctrinam saepe sequantur, ab illis quoque haud alienum erit afferre dicta, qualia habes ap. Laert. Diog. VI 11: μόνον γὰρ εἰδέναι τὸν σόφον, τίνων χρὴ ἐρᾶν (Antisth.) VII 119: μόνους θ' ἱερέας τοὺς σοφούς, 121: μόνον τ' ἐλεύθερον (Stoicorum). Bonus enim Dionis rex a sapiente Stoico haud ita multum differt.

[1] Nihil cum Wegeh. p. 73, 2 secludendum puto in his verbis; de Arnim in edit. or. ποία δὲ θυσία . . . συνευωχουμένων uncis incluserat, tunc libri sui p. 428 sq. unum v. θεοῖς.

que enim recensioni pariter necessaria, sed semel tantum servata sunt, quia aut Dio non nisi singulos locos retractaverat aut redactor cetera, quae communia erant, omisit.

§§ 102. 103. In §§ 102. 103 nihil mutandum, nihil eiciendum est. Arnimium offendit, quod § 103 de rege dicitur, quem ex hac disputatione tollit; quo iure? Quid? quod sequentibus de oculis, i. e. de amicis quasi oculis dicit, nonne de rege potius dicta sunt quam de omnibus hominibus? Cum iam Wegehaupt p. 74, haec verba defendisset mutato tamen ᾧ γὰρ πλεῖστοι in ᾧ δὲ πλεῖστοι § 103 — id quod necessarium esse nego —, de Arnim pp. 430 sq. sententiam suam pluribus defendit, sed subtilius, ut mihi quidem videtur, quam verius. Postquam Dio § 102 extr. infelicissimum hominem descripsit, § 103 sequitur felicissimus; ceterum regem eum esse expressis verbis ne dicit quidem, sed regem subaudiendum esse vult. Hoc Arnimio libens concedo.

§§ 104—108. Sequentibus Dio amicos utiliores esse exponit quam oculos, aures — ὦτα recte de Arnim addidit § 104 —, linguam, manus.

In tali textus statu, qualis in nostra oratione est, maxime ubique cavendum videtur esse, ne celerius aut ordinem mutemus aut tota enuntiata secludamus; quod cum in editione de Arnim nimis fecerit, in libro cautius processit. Perperam Wegehaupt p. 74 §§ 104—107 delevit, quae cognatae quidem sunt cum § 87, sed suo loco optime leguntur. § 87 enim regem sine amicis esse non posse probatur, nostro loco aliter Dio sententiam vertit, ita scil. ut dicat regem omnibus non modo hominibus, sed paene ipsi deo praestare, cum tot amicis quasi membris corporis uti ei liceat. Itaque cum antea § 103, ut ipse Wegehaupt exposuit, de regis beatitudine dictum sit, nunc etiam maiora de regis beatitudine adduntur. Ceterum memineris velim, quae p. 8 de §§ 3 et 25, p. 15 de §§ 95 et 100 dicta sunt. Conexus vero §§ 107 et 108, quem ille desiderat, non intellego, quomodo melior esse possit. Cum enim amici quasi membra regis sint, ait Dio, non solum cum rege et pro rege laborant, verum etiam rex cum illis et per illos omnia sentit, quasi sibi ipsi accidant. Ac falsissime Wegehaupt § 108 de amicorum rebus secundis esse dicit; immo de regis beatitudine agitur, quae amicorum voluptatibus augetur atque multiplicatur.

Verba § 108 πολλαῖς δὲ διανοίαις ab Arnimio et Wege-

hauptio seclusa ab interpolatore or. I § 32 memoria tenente videntur inserta esse. Cf. etiam βουλεύεσθαι § 107.

Cetera cum huc usque bene se habeant, denuo offendimur § 109; cuius posteriorem partem cum de Arnim in editione seclusisset, p. 428 libri sui rursus dubitavit; ac merito ille quidem. Sed ne duplicem quidem recensionem recte statuit. Quamquam enim etiam § 100 δόξα et πλοῦτος coniunguntur, tamen rursus oratio h. l. alio vertitur. Ibi enim nihil probatur nisi amicitia omnia cetera servari atque amplificari (inde a § 94); sed inde a § 104 novum argumentum affertur, quod est:

,Omnia, quae amicorum meorum sunt, mea quoque sunt;
ac primum quidem oculi aures cett. (§§ 104—107)
deinde voluptates (§ 108),
tum gloria,
tum divitiae (§ 109),
beneficia denique data quasi accepta, accepta quasi data (§ 110); atque cum omnia amicorum communia esse iam antiquitus dictum sit, maxime certe τὰ ἀγαθά.'

Quae extrema verba § 110 ab Arnimio non intellecta iure defendit Wegehaupt p. 74; idem contra Arnimium servat § 109 extremam.

Animadvertas velim formam verborum, quibus novae partes incipiunt:

§ 104 εἰ δὲ, cf. § 109 med. § 101 med.
§ 108 καὶ τοίνυν, cf. § 110. 58. 91.

Conexum §§ 111 et 112 in editione §§ 128—132 insertis turbatum cum sero restituere vellet, p. 425 libri sui hoc retractavit de Arnim.

§§ 113—122. §§ 113—115 ἀπολαῦσαι amor propinquorum cum amicitia confertur, nec non de propinquis atque amicis agitur §§ 119—122. Sed haec disputatio obiter inspicienti plane videtur esse interrupta verbis §§ 116—118 quas eiciendas esse de Arnim (in edit. et libri p. 430) et Wegehaupt (p. 15 not. 1, p. 74 extr., p. 79) consentiunt. § 118. hoc loco ineptam esse satis constare uterque dicit. §§ 116 sq. genuinae orationis non esse Wegehaupt existimat, quia de tyranno agatur, de qua re supra p. 10 sq. diximus. Sed quid effecerunt viri docti ferro ignique saevientes in codicum ordinem? Conexum ne ita quidem restituerunt. Nam §§ 113—115 cum §§ 119—122 plane nequeunt con-

iungi. Ibi enim paradoxo quodam modo amicitiam pluris esse aestimandam demonstratur quam affinitatem; hic propinquos partem ipsius animi esse; numquam dissolvi posse consanguinitatem, dissolvi posse amicitiam, cum supra §§ 113. 114 paradoxe dixerit, fieri posse ut a patre, a filio iniuriam accipiamus, ut ab amico, nullo modo posse fieri. Eadem § 120 leviter tantum perstringuntur ita, ut dicat regem quoad possit studere, ut propinqui non propter propinquitatem, sed propter virtutem amari videantur. Itaque si quo loco, hoc duplex recensio ita patet, ut altera plane diversam contrariamque alteri sententiam praebeat. Iam vide initia utriusque loci, quibus novam partem incipere apparet:

§ 113: φιλοσυγγενέστατος δὲ ὢν καὶ φιλοικειότατος . . .

§ 119: φιλοίκειος δὲ καὶ φιλοσυγγενὴς πῶς οὐκ ἂν εἴη διαφερόντως;

Cf. § 51 τοιοῦτος δὲ ὢν . . .

or. I § 27 φιλότιμος δ' ὢν . . .

— — καὶ πολεμικὸς μὲν οὕτως ἐστὶν ὥστ' . . ., εἰρηνικὸς δὲ . . .

— 28 φιλέταιρος δὲ καὶ φιλοπολίτης καὶ φιλοστρατιώτης ὁμοίως πέφυκεν.

Iulian. II p. 86 c: φιλόπονος δ' ὢν, d: φιλόπολις δ' ὢν, 88 d: φύλαξ δὲ ὢν, 89 a: διττῶν δὲ ὄντων τῶν ἁμαρτημάτων, 91 B: ἐφορῶν δ' αὐτὸς ἅπαντα.

Certe cum de propinquorum amore iam dixisset §§ 113 sqq., § 119 pergere non poterat φιλοίκειος δὲ καὶ φιλοσυγγενὴς πῶς οὐκ ἂν εἴη διαφερόντως;

Porro accuratius verba inspiciamus, quae inter disputationes illas inter se contrarias inserta sunt. §§ 116 sq. de tyranno bono regi cum in ceteris rebus tum in amicitia contrario dicitur. Qua re cum discamus etiam in illa orationis forma, in qua tyrannus versabatur, cuius dispositionem § 25 indicari supra p. 9 invenimus, de amicitia dictum esse, tamen eius partis non nisi extrema verba nobis servata sunt. Eadem autem extrema fere verba totius orationis erant, id quod docet init. § 116: ἐν ἅπασι μὲν οὖν τοῖς εἰρημένοις ἔστι συννοεῖν κτλ. Verba autem extrema § 115 eiusdem disputationis esse videntur, cuius conclusionem habemus §§ 116 sq.: quasi summum argumentum affertur regem vel deorum amicitia frui. Neque enim cum praecedentibus verbis conexus ullus intercedit. — Rursus ad plane diversam rem

reicimur, si ad § 118 transimus, quam de Arnim p. 430 cum §§ 104—107 iam composuit, sed minime ibi inserenda sunt, ut recte vidit v. d. Potius illi orationi haec paragraphus tribuenda est, qua de tyranno dictum erat; namque exemplo regis Persarum ut mali regis utitur, sicuti iam §§ 31 sqq. usus est. Etsi igitur haec paragraphus conexu antecedentium et sequentium plane caret, tamen non magis quam in § 85 habemus, cur eam spuriam esse cum Emperio, Arnimio, Wegehauptio putemus. Immo rem ipsam non modo non ineptam, sed ad fontes huius orationis illustrandos gravissimam esse infra p. 39 sqq. videbimus.

Iam ut brevi conspiciamus, quae proxime invenimus, oratio inde a § 115 οὕτως δὲ continua non iam est. Secuntur de tyranno duae particulae (§§ 115 οὕτως — § 117 et § 118) —, deinde ea pars, quae erat de propinquis et amicis (§§ 113—115 ἀπολαῦσαι), retractatur (§§ 119—122), sed ita ut plane diversa sententia evadat.

Omnino enim in fine orationis, ad quem accedimus, non nisi fragmenta singula nobis occurrunt.

§§ 123—138. Orationem extremam tria dare fragmenta appendicis loco posita iam de Wilamowitz cognoverat. §§ 123—127 περὶ φιλοπονίας agitur, § 123 extr. καὶ τὰς μὲν ἡδονὰς αὔξει τοῖς πόνοις καὶ μείζους διὰ τοῦτο καρποῦται, τοὺς δὲ πόνους ἐπελαφρύνει τῷ ἔθει compararari potest cum verbis § 83: ἔτι δὲ οἱ μὲν πόνοι αὐτοὺς ἐλάττους ἀεὶ ποιοῦσι καὶ φέρειν ἐλαφροτέρους, τὰς δὲ ἡδονὰς μείζους καὶ ἀβλαβεστέρας, ὅταν γίγνωνται μετὰ τοὺς πόνους. Itaque §§ 123—127 et retractantur et amplificantur, quae § 83 dicta erant.

Sed una res etiam suspicionem movet. §§ 123 sq. magis quam pleraeque orationis partes sermonem philosophorum, atque eum, ut postea videbimus, Stoicorum sapiunt. Fortasse dubitari potest, num tantum Dionis neglegentiae tribui possit, ut scripserit § 91 multa, quae utilia sint, non esse iucunda, quae iucunda, non utilia et § 124: ταὐτὰ δὲ ἡγεῖται συμφέροντα καὶ ἡδέα. Quod si negaris, non satis habere me fateor, quod contra dicam. Tantum moneo et § 91 iam mitigata esse, quae acrius § 90 dixerit (v. supra p. 13) et § 91 res concretas potius agi, § 124 abstractas. — Non tamen inter se contraria sunt § 58: καὶ τοίνυν τὴν μὲν ἀνδρείαν . . . ἀναγκαίας νομίζει καὶ τοῖς ἀμε-

λοῦσι τοῦ δικαίου et § 123 τὴν δὲ ἀρετὴν οὐκ ἀνάγκην νενόμικε.

De §§ 128—132 et §§ 133—138 breviter dici potest; illae paragraphi περὶ φιλίας sunt, hae de variis rebus, quibus reges delectantur, maxime de venatione. Ibi oppositi sunt inter se οἱ μὲν πολλοὶ τῶν δυναστῶν et ὁ δὲ (scil. ἀγαθὸς βασιλεὺς §§ 129 sq.), hic de turpibus nonnullorum regum delectationibus et de Persarum venatione rege indigna dictum, quibus rebus abstinet ὁ ἀγαθὸς βασιλεύς (§ 135). Utraque igitur particula ad orationis formam, quae tyrannidem continebat, pertinet. Similitudinem, quae inter §§ 103 et 132 intercedit iam Wegehaupt p. 76 vidit.

Nunc quoniam ad finem tandem pervenimus, de extrema parte orationis (inde a § 86) idem statuendum, quod de priore vidimus supra p. 13; itaque iam de tota oratione iudicandum erit:

Eius propositionis, quam § 50 invenimus, quae est de rege bono tyrannide neglecta satis integra nobis servata est tractatio; (cui quid tribuendum sit, infra in tabulae col. I ponimus); *cuius orationis nonnullae partes ita retractatae sunt, ut aut lenius aut gravius mutarentur* (col. II); totam orationem retractatam fuisse demonstrari non potest, sed propter abrupta frustula, quae inveniuntur, sicuti § 85 nec non §§ 56. 57 (cf. supra p. 13), non omnia, quae in Dionis schedulis erant, ad nos videntur pervenisse. *Satis multae denique partes eius formae inveniuntur, qua de tyranno quoque dictum erat ex propositione § 25, cuius dispositio ab illa haud ita abhorrebat* (col. III).

col. I.	col. II.	col. III.
Περὶ τοῦ ἀγαθοῦ βασιλέως (§ 50).	Eiusdem orationis nonnullarum partium retractatio.	De rege et tyranno. (§ 25) §§ 1 sqq. 26—42. Socrates de rege Persarum loquitur.
I. Τὰ περὶ τοῦ Διός exciderunt § 50 (cf. or. I §§ 37—48).		
II. Περὶ ἐπιμελείας θεῶν. §§ 51—55 χαριζόμενος αὐτῷ.		
IIIa. Περὶ ἐπιμελείας ἀνθρώπων.		
§ 55 (τήν τε τῶν ἀνθρώπων . . . ἅτε ὑπὸ τοῦ μεγίστου θεοῦ ταχθεὶς ἐπὶ τοῦτο τὸ ἔρ-	§§ 56. 57 (ἅτε προσηκούσας	

γον, ᾧ ἀπειθεῖν οὐ θέμις οὐδὲν οὐδὲ ἄχθεσθαι) ‖ §§ 62—74 (ὁρᾷ γὰρ ὅτι πανταχοῦ τὸ βέλτιον τοῦ ἥττονος ἔταξεν ὁ θεὸς προνοεῖν .... § 67 τῷ στρατηγῷ δὲ	§ 57 ὁρᾷ γὰρ καὶ τὸν ἥλιον ... οὐκ ἀχθόμενον, εἰ ... πράττει).	
§ 73 τὸ δὲ μέγιστον ὁρᾷς τὸν ἥλιον .... § 74 καὶ ταῦτα οὐδέποτε κάμνει χαριζόμενος.)	§§ 75—81 (... § 81 καὶ ταῦτα μηχανώμενος δι' αἰῶνος οὔποτε κάμνει).	§§ 58—61. De labore.
	§ 85 (ὁ στρατηγός. cf. § 67).	
§§ 82—84 (§ 83 πόνοι et ἡδοναί).	§§ 123—127 (πόνοι)	§§ 133—138. De venatione.
IIIb. Περὶ φιλίας.		§§ 128—132 (ad § 132 cf. § 103).
§§ 86—90.	§§ 91—93 (cf. § 90).	
§§ 94—100.	§§ 101—103 (cf. §§ 96—100).	§§ 118 (cf. §§ 104—107).
§§ 104—115 ἀπολαῦσαι.	§§ 119—122 (cf. §§ 113—115).	§§ 115 οὕτως δὲ —117.

Finis col. I deest, col. III fortasse § 117. Initium totius orationis ad col. III pertinet, § 30 enim ad §§ 1 sqq. referenda est. *Itaque de rege et tyranno Dio primo dicturus erat, fortasse etiam dixit apud Traianum; quam orationem num totam litteris mandaverit, diiudicari iam nequit,* quamquam verba § 49 τούτων μὲν οὖν ὁ λόγος ἄλλως ἐπεμνήσθη hoc videntur probare. *Deinde contra exordii totius consilium subito § 50 propositione mutata orationem scripsit* περὶ τοῦ ἀγαθοῦ βασιλέως, quae praeter τὰ περὶ τοῦ Διὸς § 50 et finem integra nobis servata esse videtur; cuius partes nonnullas postea retractavit et amplificavit, scil. cum in aliis urbibus orationem identidem haberet.

II. De fontibus orationis tertiae.

Quomodo Dio fontibus suis usus sit. Dionis aetate gloria Graecorum iam dudum perdita optimus quisque maxime temporis acti laudator fuit. Cf. Dionis or. XXI 1, XXVIII 13, XXIX 19, XXX 10, XXXI 75, 159 sq., XXXIII 1, LXV 6. Ut autem in vita, ita in litteris optime fecisse illa aetate is videbatur qui antiquiores respiciebat. De imitatione Dio or. XVIII dicit; praeter

ceteros Xenophontem admiratur atque commendat; quem quantopere ipse in orationibus suis secutus sit, post alia docuerunt Gottlob Barner, 'Comparantur inter se Graeci de regentium hominum virtutibus auctores' diss. Marpurg. 1889, pp. 17—24, et Wegehaupt. Sed ut moris est antiquorum, Dio plerumque non nomen eius scriptoris, quem sequitur, quem imitatur, affert, sed minus accurate antiquo quodam fonte se uti fatetur. Cuius rei, ut rationem eius cognoscamus, haec exempla afferam. XIII 14 . . . ἐνίοτε ὑπὸ ἀπορίας ἀνῆγον ἐπί τινα λόγον ἀρχαῖον λεγόμενον ὑπό τινος Σωκράτους, ὃν οὐδέποτε ἐκεῖνος ἐπαύσατο λέγων . . . ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς θεός, ὡς ἔφη τις. (15) οὐ μέντοι προσεποιούμην ἐμὸν εἶναι τὸν λόγον, ἀλλ' οὗπερ ἦν, καὶ ἠξίουν . . . συγγνώμην ἔχειν, μηδὲ ὅτι ταῦτα λέγω ἃ τυγχάνει πολλοῖς ἔτεσι πρότερον εἰρημένα, διὰ τοῦτο ἧττον προσέχειν τὸν νοῦν. ἴσως γὰρ ἄν, ἔφην, οὕτως μάλιστα ὠφεληθείητε. οὐ γὰρ δή γε εἰκός ἐστι τοὺς παλαιοὺς λόγους ὥσπερ φάρμακα διαπνεύσαντας ἀπολωλεκέναι τὴν δύναμιν.

VII 98: λέγομεν δὲ ταῦτα μεμνημένοι τῶν ποιητῶν . . . παρ' ἐκείνοις μάλιστα εὑρήσειν ἡγούμενοι τὴν τῶν πολλῶν διάνοιαν. — 102: καὶ αὐτοῖς τούτοις τοῖς ἔπεσιν ἀντείρηκε τῶν πάνυ φιλοσόφων τις . . . καὶ τοῖς ὑπὸ Σοφοκλέους εἰς τὸν πλοῦτον εἰρημένοις, ἐκείνοις μὲν ἐπ' ὀλίγον τοῖς δὲ τοῦ Σοφοκλέους ἐπὶ πλέον, οὐ μήν, ὥσπερ νῦν ἡμεῖς, διὰ μακρῶν, ἅτε οὐ παραχρῆμα κατὰ πολλὴν ἐξουσίαν διεξιών, ἀλλ' ἐν βίβλοις γράφων.

Vides Dionem certis fontibus uti, quorum alia omittit, alia amplificat. In orationibus περὶ βασιλείας scriptis similia habes; cf. I 8: ὁ τῶν φρονίμων τε καὶ σοφῶν λόγος, οἷοι γεγόνασιν οἱ[1] πολλοὶ τῶν πρότερον . . . (10) πολλοὶ μὲν οὖν κατὰ φιλοσοφίαν λόγοι καὶ πάντες ἀκοῆς ἄξιοι καὶ θαυμαστὴν ὠφέλειαν ἔχοντες τοῖς μὴ παρέργως ἀκροωμένοις κτλ. 33: ἵνα δὲ τὰ πολλὰ ἀφεὶς εἴπω τὸ φανερώτατον σημεῖον . . . 48: ἥδιστα καὶ προθυμότατα τοῦτον εἴποιμ' ἂν τὸν λόγον τὸν ὑπὲρ τοῦ Διὸς . . . ἐπεὶ δὲ πλείων ἐστὶ παντὸς[2] τοῦ καιροῦ τοῦ παρόντος καὶ δεόμενος ἀποδείξεων ἀκριβεστέρων, αὖθίς ποτε ἴσως γένοιτ' ἂν σχολὴ διελθεῖν αὐτόν.

---

[1] [οἱ] de A.
[2] [παντὸς] de A.

De orationis III §§ 49. 50 iam supra p. 9 satis dictum est. Ex his verbis sequitur Dioni certas quasdam diatribas (I 9 cf. VII 103) de regno ab antiquioribus scriptas praesto fuisse, ex quibus multa prompsit, multa etiam (I 33. 48. III 49 sq.) omisit. Sed Dio praeter hos fontes, qualescumque fuerunt, orationes suas copia verborum, similium, exemplorum undique collectorum ornavit. Nobis autem, qui in fontes eius inquisituri sumus, primum erit officium, ut quasi ossa orationis teneamus carne molli (i. e. ornatu verborum) omissa. Haec autem quae dixi ossa satis clare etiam cognosci possunt. Hirzelium secutus Wegehaupt Ferdinandum Duemmler in Antisthene apud Dionem indagando nimis longe processisse putat; neque enim eum esse Dionem v. d. arbitratur, qui ad verbum fontes suos exprimat. Sed vereor ne ipse Dioni Xenophontis sectatori plus quam licet indulserit. Sane Dio imitatur Xenophontem, imitatur sententias, copiam verborum, quae multa post alios Wegehaupt collegit; sed et in aliis et in his περὶ βασιλείας orationibus totus sermonis conexus vel quae ossa supra vocavi orationis non ex Xenophonte, sed aliunde petita sunt. Atque in hanc rem accuratius inquirere cum Wegehauptio propositum non esset, tamen gratum fecit, quod quae aut priores attulerunt aut ipse invenisse sibi visus est de fontibus nonnullarum orationum collegit; ampliorem thesaurum praebet Sonny, de quo supra p. 5 diximus. Sed Wegehaupt parti illi dissertationis suae inscripsit ‚de Dionis scribendi arte'; haud bene, credo; neque enim satis discernit inter scribendi artem vel ‚stilum' et fontes Dionis. Atque omnia, quae initio (p. 45) de ipsa arte Dionis dicit, rectissima sunt. Sane orationes Xenophontis locis refertae sunt. Tamen totam dispositionem Dio aut ipse invenit aut aliunde sumpsit. Haec Wegehaupt neglexit, cum Duemmleri et Ernesti Weber rationem ac viam cautius, quam oportebat, vitaret. Sicuti p. 52 de tota or. III parte, quae est inde a § 81 usque ad finem, amplius disputari necesse non esse dicit, cum Dio Xenophontem maxime imitetur.

De exordio orationis primae. De fontibus orationis tertiae oratione prima neglecta dici nequit. Nam non solum res ipsa, de qua loquitur, eadem est, sed fere idem etiam ordo rerum, id quod utramque orationem legenti statim occurrit. Hoc iam tetigit Praechter, Archiv für Geschichte der Philosophie V, p. 42 sqq.

cum Iulianum or. II Dionem sequi exponeret. Cf. etiam de Arnim libri sui p. 419 sq.

Exordium orat. I sunt §§ 1—7. Ad rem transit §§ 8. 9, secum deliberans, quam orationem (λόγον vel διατριβὴν) ex tanta antiquiorum copia eligat et rei et sibi aptissimam, imperatore dignissimam. Tunc incipit ἀσυνδέτως: φέρε εἴπωμεν τά τε ἤθη καὶ τὴν διάθεσιν τοῦ χρηστοῦ βασιλέως. Sed quae secuntur §§ 11—14 nihil sunt nisi alterum exordium, quo totam partem orationis eam, quae est usque ad § 36, brevi complectitur. Cf. § 36 init.: ἐγὼ μὲν οὖν ἁπλῶς εἶπον τὰ περὶ τὸν ἀγαθὸν βασιλέα. Incipit autem § 11 ab Homero (Il. II 205 sq.), quem ita interpretatur, ut non sceptro, sed virtute regem cognosci dicat. Pergit § 14: ταῦτα γάρ φησι καὶ Ὅμηρος ὁμοίως τοῖς ἄλλοις σοφοῖς τε καὶ ἀληθέσιν ἀνδράσιν, ὡς οὐδείς ποτε πονηρὸς καὶ ἀκόλαστος καὶ φιλοχρήματος οὔτε αὐτὸς ἑαυτοῦ γενέσθαι δυνατὸς ἄρχειν[1] οὐδ' ἐγκρατὴς οὔτε τῶν ἄλλων οὐδενός, οὐδ' ἔσται ποτὲ ἐκεῖνος βασιλεύς, οὐδ' ἂν πάντες φῶσιν Ἕλληνες καὶ βάρβαροι καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες, καὶ μὴ μόνον ἄνθρωποι θαυμάζωσιν αὐτὸν καὶ ὑπακούωσιν, ἀλλ' οἵ τε ὄρνιθες πετόμενοι καὶ τὰ θηρία ἐν τοῖς ὄρεσι μηδὲν ἧττον τῶν ἀνθρώπων συγχωρῇ τε καὶ ποιῇ τὸ προσταττόμενον.

De forma dicendi cf. III 42: ὅμοια δὲ εἰρήκασι περὶ ἀρχῆς καὶ βασιλείας οἱ μετ' αὐτόν (scil. τὸν Σωκράτην), ὡς οἷόν τε ἑπόμενοι τῇ σοφωτάτῃ γνώμῃ.

Sed qui sunt οἱ ἄλλοι σοφοὶ καὶ ἀληθεῖς ἄνδρες? Sunt Cynici et Stoici, quorum notissimum est paradoxon, qui sit sapiens, eundem esse regem. Brevius Dio IV 24: οὐδὲ ἔστι βασιλεύειν κακῶς οὐ μᾶλλον ἢ κακῶς ἀγαθὸν εἶναι. Haec sententia brevitate insignis sine dubio antiqua est. Porro v. LXII 7: οὔτε γὰρ ἄφρων βασιλεὺς ἔσται ποτέ, οὐ μᾶλλον ἢ τυφλὸς ἡγεμὼν ὁδοῦ γένοιτ' ἄν, οὔτε ἄδικος, οὐ μᾶλλον ἢ κανὼν σκολιὸς καὶ ἄνισος ἄλλου προσδεόμενος κανόνος, οὔτε δειλός, οὐ μᾶλλον ἢ λέων ἐλάφου λαβὼν ψυχὴν ἢ σίδηρος κηροῦ καὶ μολίβδου μαλακώτερος. De hac re egit Kaerst l. c. p. 32, n. 1. E. Weber p. 158, qui attulit etiam Epictet. III 22 $_{34}$. Ad verba orationis primae proxime accedunt ipsius Antisthenis, cuius inter-

[1] sic scribendum esse pro ἄρχων, quod codd. habent, docuit me Usener.

pretatione Homerica Dionem h. l. uti puto, ap. Stob. anth. III cap. 10, 42 p. 418, 14 Hens. = 10, 42 Mein. = apophth. 10 p. 58 Winckelmann: φιλάργυρος οὐδεὶς ἀγαθὸς οὔτε βασιλεὺς οὔτε ἐλεύθερος[1]; quamquam verbum φιλοχρήματος a Platone reip. 485 e dicitur: οὐδαμῇ φιλοχρήματος (scil. philosophus), Barner l. l. p. 10.

Rex a Cynicis cum pastore comparatus. I 13 rex νομεὺς καὶ ποιμὴν τῶν λαῶν, οὐχ ἑστιάτωρ καὶ δαιτυμὼν appellatur. Extrema verba Platonis esse reip. I 345 c iam indicarunt Barner p. 14 et de Wilamowitz in apparatu editionis Arnimianae. Poterant etiam afferri reip. IV 421 b. Tim. 17 a.

Regem cum pastore iam a Cynicis comparari monent Ioël I p. 388 et Kaerst p. 27 not. 2. Hic antea coniecit verba Xenophontea Cyrup. VIII 2 14: καὶ λόγος δὲ αὐτοῦ ἀπομνημονεύεται, ὡς λέγοι παραπλήσια ἔργα εἶναι νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ ex Antisthenis Cyro dialogo sumpta esse. Xenophon ibid. I 1_1 eodem simili utitur, ad quem locum Hertlein posteriorum non nulla attulit, apud quos latissime hoc patet cf. Zeller II 1^4 325^5; locis Aristidis, Themistii, Libanii, Iuliani, Synesii a Barnero collectis adde Themist. or. XIII p. 171 c. Archyt. περὶ νόμου καὶ δικαιοσύνας ap. Stob. fl. 46, 61. Ecphant. περὶ βασιλείας ibid. 48, 64.

Wegehaupt p. 11 n. 4 cum Cyrup. VIII 2 14 contulit Dion. III 41: ποιμένος ἐπιεικοῦς ἔχων ἦθος, σκέπης καὶ νομῆς προνοούμενος τοῖς αὑτοῦ κτήνεσιν et verba ipse similia esse dicit, sed praeter verba νομέα, κτήνη — νομῆς, κτήνεσιν nihil simile est. Ego potius Kaerstii coniecturae accedo.

De Socrate et rege Persarum. Oratio tertia exordio non caret, quo (§§ 1—10) brevius proponuntur, quae postea accuratius tractanda sunt: Socrates et alius quidam de regis Persarum beatitudine disputant. Quae cum Geel ad Platonis Gorgiam p. 470 e revocasset et Duemmler in Antisthenicis dubitanter accessisset, Sonny Anal. p. 160 de alio dialogo Socratico nobis ignoto cogitabat, credo, quia quae secuntur §§ 30—42, non ex Gorgia haustae sunt. Ibi enim Socrates Persarum regem et infirmiorem pauper-

---

[1] Cf. praeterea Dion. III 38. IV 4. XIII 24. Xen. mem. III 1 4 (Wegeh. p. 3), Platon. Lys. 210 b. — Apud Platonem philosophum rege maiorem, apud Cynicos eundem esse ac regem docet Ioël, l. l. I p. 338.

rimis et ne regem quidem esse probat, quae ut paradoxa ita Cynica esse posse non negabimus. A Cynicis autem atque ab ipso Antisthene de Socrate et rege Persarum disputatum esse docent Arrianus Epictet. diss. III 22 60: πῶς συνέκρινε τὴν εὐδαιμονίαν τὴν αὐτοῦ τῇ μεγάλου βασιλέως; μᾶλλον δ' οὐδὲ συγκριτὸν ᾤετο εἶναι, et Lucianus dial. mort. 11 3: ἃ γὰρ ἐχρῆν σύ τε (scil. Diogenes) 'Αντισθένους ἐκληρονόμησας καὶ ἐγὼ (scil. Crates) σοῦ, πολλῷ μείζω καὶ σεμνότερα τῆς τῶν Περσῶν ἀρχῆς.

De similitudine quae inter nostrum locum et Themistii περὶ ἀρετῆς intercedit, post Buechelerum (mus. Rh. vol. XXVII) disputavit Ern. Weber p. 233 sqq.

De Iuliani oratione secunda. Quomodo Socrates de rege Persarum disseruerit, eodem fere modo quo Dio tradit Iulianus or. II p. 79a, cuius orationem permultis rebus cum Dione consentientem ex Dione haustam esse putat Praechter l. l., ut iam diximus. Cf. etiam J. R. Asmus, Iulian und Dion Chrysostomos, Progr. Tauberbischofsheim 1895, p. 14 n. 4. Iulianus brevius narrat; ne colloquii quidem meminit. Sed addit, quod apud Dionem desideratur, αἱροῦντας νήσους καὶ σαγηνεύοντας λιβανωτοῦ χίλια τάλαντα καταθύοντας, addit a Socrate non solum Xerxem, sed ne ullum quidem aut Persarum aut Lydorum aut Macedonum regem laudatum esse neque ducem ullum Graecorum. Quae a Iuliano Platonis memori addi potuisse quis neget? Cf. e. g. Plat. legg. III 698 d: σαγηνεύσαιεν πᾶσαν τὴν 'Ερετρικήν. Tamen etiam a Cynicis hanc provinciam usurpatam esse ex Epicteto et Luciano cognovimus; Antisthenes, qui antea Gorgiae discipulus fuit, Socratis factus Archelao dialogo suo contra Gorgiam pugnavit (Athen. V p. 220 d. Duemmler, Akademika, pp. 1—18).

De Antisthenis Politico. Eiusdem autem dialogus Politicus, ut testatur idem Athenaeus eodem loco, ἁπάντων καταδρομὴν ἔχει τῶν 'Αθήνησι δημαγωγῶν. Fortasse ad Antisthenis Politicum respicit Iulianus: ἀλλ' οὐδὲ 'Ελλήνων στρατηγὸν (scil. ἐπῄνεσε) πλὴν σφόδρα ὀλίγων. Verba μετ' ὀλίγων ἀνρθώπων Antisthenes amabat, cum Cynici praeter paucissimos omnes homines insanire putarent, (Laert. Diog. VI 12: μετ' ὀλίγων ἀγαθῶν), v. Duemmler. ad Xenoph. Agesil. 11 9 in Philol. vol. LIV

p. 583, Dion. or. LXXVII/LXXVIII § 40, ceterum etiam Platon. Criton. p. 49 c[1].

Secuntur apud Iulianum p. 79 c verba: ἕπεται δὲ αὐτοῦ (scil. Σωκράτους) τῇ κρίσει σοφῶν ἀνδρῶν δῆμος ἀρετὴν θεραπεύοντες, simillima iis, quibus apud Dionem III 42 eadem pars finitur: ὅμοια δὲ εἰρήκασι περὶ ἀρχῆς καὶ βασιλείας οἱ μετ' αὐτὸν ὡς οἷόν τε ἑπόμενοι τῇ σοφωτάτῃ γνώμῃ. Cf. etiam Iulian. p. 80 a et Dion. I 14. Sed cum adhuc diiudicare non potuerimus, num Iulianus praeter Dionem et Platonem aliis quoque scriptoribus, qui nobis servati iam non sunt, sua debeat, nunc certiora argumenta proferemus.

Iulianus Cynicos sequitur. Pergit Iulianus 80 a: unam virtutem esse εὐδαίμονα καὶ βασιλικὴν καὶ ναὶ μὰ Δία πολιτικὴν καὶ στρατηγικὴν καὶ μεγαλόφρονα καὶ πλουσίαν γε ἀληθῶς — quae verba genuina Stoica quin sint, quis dubitet? Zeno ap. Stob. ecl. II 7, 119 = fr. 148 p. 189 Pearson: εὐδαίμων δέ ἐστιν μάλιστα καὶ εὐτυχὴς καὶ μακάριος καὶ ὄλβιος καὶ εὐσεβὴς καὶ θεοφιλὴς καὶ ἀξιωματικὸς καὶ χρηματιστικός. Sed similia iam Socratici priores, imprimis Cynici, dicebant, cf. locum Xenophontis, quem iam supra p. 26 n. 1 cum Wegehauptio attulimus, mem. III 1 4: ὁ δὲ μὴ ἐπιστάμενος οὔτε στρατηγὸς οὔτε ἰατρός ἐστιν οὐδ' ἐὰν ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων αἱρεθῇ.

πλουσίαν γ' ἀληθῶς postremo dicit Iulianus, nam sequentibus de veris divitiis Cynicorum (cf. Antisth. ap. Xen. conv. 4 34) philosophiam secutus disputat (p. 80 b—81 a). incipit a versu Homeri Il. IX 404. p. 81 a—84 a solos sapientes demonstratur esse εὐγενεῖς.

Item Dio or. XV. Similia habes apud Dionem or. XV, in qua Antisthenis vestigia repperit de Wilamowitz, Commentar. gramm. III. 1889, p. 12, haud scio an recte, quamquam contra eum dixit R. Hirzel, Dialog I p. 122 n. 2. Antisthenes indigena non esse dicebatur (L. D. VI 1), scripsit περὶ ἐλευθερίας καὶ δουλείας (ibid. 12). Cf. Dion. § 12 et Iulian. p. 82 c[2].

---

[1] Quod Plutarchus de lib. educ. p. 6 a Socratem cum Gorgia de rege Persarum facit colloquentem, non cum Polo, ut est in Platonis Gorgia, utrum erravisse Plutarchus putandus sit an alio ex fonte haec sumpsisse, mihi quidem non satis constat.

[2] Quod de Wilamowitz in apparatu Arnimiano verba Dionis XV 12 ἄλλοι σοφώτεροι iam ad Platonis Theaet. 175a revocavit, novum argumentum addendum est. Nam eadem necessitudo inter hunc

Quae de nobilitate constituta sunt, deinde ad regem adhibentur p. 83 c. d eisdem fere verbis, quibus Dio IV 25 utitur, nec non redit formula οὐδὲ εἰ πάντες ἄνθρωποι . . . ὁμολογοῖεν συνελθόντες, quam supra invenimus in Dionis or. I et all. ll. Phaethontis exemplo (83 d) utitur etiam Dio I 16. ‚Sed si quis miretur,' Iulianus pergit, ‚reges quos dicunt plerosque nobiles non esse, ne liberi quidem sunt (84 b. c), quin etiam ne validi quidem.' De eadem re Dio dicit III 30 sqq., sed apud Iulianum paulo aliter oratio procedit, ita scil. ut statim more Cynico demonstret neminem esse validum (ἰσχυρόν), nisi qui sit ἐγκρατής. Conferas velim ad verba τοιοῦτος δὲ ὢν 84 d Antisth. ap. Xen. conv. 4 35 et ad v. ὥρισται γὰρ κτλ. 85 a eundem ibid. 4 40.

Secuntur exempla Tantali, Midae, Darei.

Satis igitur perspicua dispositione Iulianus antiquiores, ut ipse dicit, secutus — quos Cynicos esse invenimus — exposuit sapientem eundem esse ac regem bonum eumque unum esse

divitem,
nobilem,
liberum,
validum.

Eadem autem introductione Socratica utuntur Dio et Iulianus; Dio quoque antiquiore fonte uti se dicit. Itaque sic existimo: Iulianus non ex Dione hausit, sed ex antiquiore fonte cuius ordinem nobis servavit, Dio eodem fonte usus unam tantum partem praeter exordium praebet, qua demonstratur regem bonum esse ἰσχυρόν, non tyrannum. Ceterum ut moris est Iuliani non minus quam Dionis, haec quasi ossa orationis multis sententiis aliis aliunde desumptis passim exornavit et nonnumquam paulum a proposito aberrat.

Iulianus or. II non Dionem maxime, sed vetustiores Cynicos sequitur. Nova pars orationis Iulianeae, quae est de bono rege,

---

Theaeteti locum et Iulian. p. 82 b et p. 92 intercedit. Verba autem Theaeteti paulo superiora p. 174 d τύραννόν τε γὰρ ἢ βασιλέα ἐγκωμιαζόμενον ἕνα τῶν νομέων κτλ. non minus ad Antisthenem quam ad Isocratem (Nicocl. 12, Duemmler, Akademika p. 62) quadrant. Dion. XV 18 cum Plat. Lys. 208 c conferri potest. De servo Iulianus alio quoque loco dicit, VI 195 d sqq., Cynicorum more (p. 193 d); similiter Dio XV 24.

incipit inde a p. 86 a, quam ipsam quoque vetustioribus debet, si ipsi credimus p. 92 c: ταῦτα ἐγὼ τῶν σοφῶν ἀκούω πολλάκις, καί με ὁ λόγος ἰσχυρῶς πείθει. Quam partem si Praechtero duce cum Dionis orationibus I et III contulerimus, statim apparebit haec aliquo modo cohaerere. Sed rursus dubito, num Iulianus ex Dione hauserit, rursus enim plura praebet, Dio pauciora.

Iuliani or. II.	Dion. or. I.	Dion. or. III.	
p. 86 A (1) ἔστι δὲ πρῶτον μὲν εὐσεβὴς καὶ οὐκ ὀλίγωρος θεραπείας θεῶν,	p. 15. ἔστι δὲ πρῶτον μὲν θεῶν ἐπιμελής	§ 51. πρῶτον μέν ἐστι θεοφιλής	— πρῶτον: ‚Dispositionstrieb‘ in Xen. mem. Ioël I 45. 69. θεοφιλὴς act. sensu: Leop. Schmidt, Eth. d. a. Gr. I 308. Xen. Cyrup. VIII 7_{22} et saepius (cf. Barner. p. 19). Them. p. 67 b, 9 a. Synes. de regno 28a (§ 29) 10a.
(2) εἶτα ἐς τοὺς τοκέας ζῶντάς τε οἶμαι καὶ τελευτήσαντας ὅσιος καὶ ἐπιμελής, ἀδελφοῖς τε εὔνους,	16. μετὰ δὲ τοὺς θεοὺς ἀνθρώπων ἐπιμελεῖται	52. θεραπεύειν (De amore propinquorum Dio postea §§ 119 sqq.)	
τοῖς μὲν ἀγαθοῖς τῶν πολιτῶν ἀρέσκειν βουλόμενος,	τιμῶν μὲν καὶ ἀγαπῶν τοὺς ἀγαθεύς,	(Cf. § 103)	
τῶν πολλῶν δὲ ἐπιμελόμενος ἐν δίκῃ καὶ ἐπ' ὠφελείᾳ.	κηδόμενος δὲ πάντων	55. τήν τε τῶν ἀνθρώπων ἐπιμέλειαν (§ 128)	— ἐπ' ὠφελείᾳ v. infra p. 35 (Barn. p. 45).
B (3) ἀγαπᾷ δὲ πλοῦτον . . . φίλων εὐνοίας καὶ ἀκολακεύτου θεραπείας μεστόν			— Them. 17c: φιλίας πλοῦτος ἀληθινῆς.
(4) ἀνδρεῖος, sed bella tantum gerens necessaria	27. φιλότιμος δ' ὢν τὴν φύσιν, πολεμικὸς . . . εἰρηνικός		— Isocr. Nicocl. 19 d. Synes. de regno 25 (Barner pp. 16 et 50).
C (5) φιλόπονος δὲ ὢν φύσει καὶ μεγαλόψυχος	21. φιλόπονος		
D (6) φιλόπολις δ' ὢν καὶ φιλοστρατιώτης	28. φιλέταιρος δὲ καὶ φιλοπολίτης καὶ φιλοστρατιώτης		— Plato rep. p. 416a (Barner p. 14).
88 A τροφὴν	28. τροφὴν		
88 B (7) τοιοῦτος μὲν ἐπὶ στρατοπέδων ὁ γενναῖος, πόλει δὲ σωτὴρ καὶ κηδεμών			

D (a) (α) φύλαξ δὲ ὢν ἀγαθὸς τῶν νόμων 89 A νόμος ἔγγονος τῆς δίκης (β) διτῶν δ' ὄντων τῶν ἁμαρτημάτων 91 B (b) ἐφορῶν δ' αὐτὸς ἅπαντα D νόμων μὲν δὴ πέρι καὶ ἀρχόντων τοιάδε γιγνώσκει, τοῦ πλήθους δὲ . . . 92 B ἀγαπῶντος μὲν . . . (conclusio) καθάπερ ἀγαθὸν δαίμονα			— Xen. Hiero 9 s. Cyrop. V 1 24. Dio IV 62.

Iulianum si quis legerit Dione non adhibito non dubitabit, quin ordo rerum satis bonus sit. Unam partem, quae est de vita militari (pp. 86 d—88 b), Iulianus, quippe qui re militari maxime gauderet, aut ipse amplificasse aut, cum cetera brevius compilaret, accuratius ex fonte descripsisse videtur. Statuendum igitur erit Iulianum inde a p. 86 a usque ad p. 92 c eodem fonte usum esse atque hunc fontem non fuisse Dionem. Hunc autem scriptorem eundem esse, quem pp. 80 b—85 d sequebatur, necesse non est. p. 80 a Stoicorum aut ipsius Zenonis verbis usus de bono rege se disserturum promiserat; sed non prius quam p. 85 d huius rei meminit, meminit audientes vel legentes ipsos postulare, ut tandem promissa solvat et a digressione redeat. Eis autem quae inseruit (pp. 80 b—85 d) tyrannos neque divites neque nobiles neque liberos neque validos esse ex Cynicorum vel ipsius Antisthenis doctrina docuit.

Ad § 86 a cf. Stoicorum doctrinam L. D. VII 119: θεοσεβεῖς τε τοὺς σπουδαίους· ἐμπείρους γὰρ εἶναι τῶν περὶ θεοὺς νομίμων. εἶναί τε τὴν εὐσέβειαν ἐπιστήμην θεῶν θεραπείας. ἀλλὰ μὴν καὶ θύσειν αὐτοὺς θεοῖς ἁγνούς τε ὑπάρχειν. ἐκνεύειν γὰρ τὰ περὶ θεοὺς ἁμαρτήματα. καὶ τοὺς θεοὺς ἄγασθαι αὐτούς· ὁσίους τε γὰρ εἶναι καὶ δικαίους πρὸς τὸ θεῖον. μόνους θ' ἱερέας τοὺς σοφούς· ἐπεσκέφθαι γὰρ περὶ θυσιῶν, ἱδρύσεων, καθαρμῶν, καὶ τῶν ἄλλων τῶν πρὸς θεοὺς οἰκείων. 120: δοκεῖ δ' αὐτοῖς καὶ γονέας σέβεσθαι καὶ ἀδελφοὺς ἐν

δευτέρᾳ μοίρᾳ μετὰ θεούς. φασὶ δὲ καὶ τὴν πρὸς τὰ τέκνα φιλοστοργίαν φυσικὴν εἶναι αὐτοῖς καὶ ἐν φαύλοις μὴ εἶναι. Vides quam prope haec verba etiam ad Dion. III 51 sqq. accedant. Cf. Julian. p. 70 d: θετέον δ' ἐν ἀρετῆς μοίρᾳ τὴν εὐσέβειαν τὴν κρατίστην. ἔστι γὰρ ὁσιότης τῆς δικαιοσύνης ἔκγονος. Ceterum similia iam apud Socraticos priores inveniuntur, cf. Xen. mem. et quae de iis dixit Joël I p. 45. 69.

A dis incipiendum esse dixerunt praeterea Isocr. Euag. (IX) 43. Cum Dion. § 52 cf. Isocr. ad Nic. (II) 20. Nec omittatur Aristot. pol. Δ (H) 8. 1328 b 2. 12. De daemonibus (Dion. § 54) cf. quae ex Libanio attulit Barner p. 38.

Cynici et Stoici quid de lege docuerint. Stoica plane doctrina legis est. Leges civitatis enim legibus divinis aequantur: nihil scelestius putandum est, ne divinarum quidem rerum iniuria, quam παρανομία (89 a). ἔστι γὰρ ὁ νόμος ἔγγονος τῆς δίκης, ἱερὸν ἀνάθημα καὶ θεῖον ἀληθῶς τοῦ μεγίστου θεοῦ, ὃν οὐδαμῶς ὅ γε ἔμφρων ἀνὴρ περὶ σμικροῦ ποιήσει οὐδὲ ἀτιμάσει.

Plutarchus sic in libello ‚ad principem ineruditum' c. 3 p. 780 c: Τίς οὖν ἄρξει τοῦ ἄρχοντος; inquit. ὁ νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων, ὡς ἔφη Πίνδαρος, cf. p. 701 b: ὁ μὲν Ζεὺς . . . αὐτὸς καὶ Δίκη καὶ θέμις ἐστὶ καὶ νόμων ὁ πρεσβύτατος καὶ τελειότατος. Prope accedit Alcidamas, a quo frigidius hoc dictum esse iudicat Aristot. rhet. III 3 p. 1406 a 22: οἱ πόλεως βασιλῆς νόμοι, quod a Platone conv. 196 c illuditur; v. edit. Iahnii-Useneri et Duemmleri Akad. p. 39 not. 2. Sed hoc erat initium libri Chrysippei περὶ νόμου (fr. 2 Dig. de legg. I 3): ὁ νόμος πάντων ἐστὶν βασιλεὺς θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. Δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην εἶναι τῶν καλῶν καὶ αἰσχρῶν καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τε εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζῴων προστατικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ ὧν οὐ ποιητέον.

Alios locos collegit, Kaerst p. 64 not. 1, in quibus etiam Dion. I 42. Adde his Iamblichum ap. Stob. fl. 46, 77: πάντων βασιλεὺς ὁ νόμος.

Chrysippus legem canonem esse dicit, idem de rege Dio LXII 7: οὔτε γὰρ ἄφρων βασιλεὺς ἔσται ποτὲ . . . οὔτε ἄδικος, οὐ μᾶλλον ἢ κανὼν σκολιὸς καὶ ἄνισος ἄλλου προσδεόμενος κανόνος. Iulianus II p. 93 a: ὥσπερ κανόνα τινὰ καὶ στάθμην.

Plut. p. 780 b: ὥσπερ ὁ κανὼν . . . ἀπευθύνει, παραπλησίως τὸν ἄρχοντα.

Dio I 75: ὁ δὲ ἐγγὺς οὗτος ἑστηκὼς τῆς Βασιλείας παρ' αὐτὸ τὸ σκῆπτρον ἔμπροσθεν ἰσχυρὸς ἀνήρ, πολιὸς καὶ μεγαλόφρων, οὗτος δὴ (de Arn., δὲ codd.) καλεῖται Νόμος, ὁ δὲ αὐτὸς καὶ λόγος ὀρθὸς κέκληται, σύμβουλος καὶ πάρεδρος, οὗ χωρὶς οὐδὲν ἐκείναις (scil. Βασιλείᾳ, Δίκῃ, Εὐνομίᾳ, Εἰρήνῃ) πρᾶξαι θέμις οὐδὲ διανοηθῆναι. καλεῖται delevit de Wilamow. propter iuxta positum κέκληται. An κέκληται ad Stoicum illum pertinet, quisquis fuit, qui primus legem ita appellavit? Stoica enim est appellatio: Laert. Diog. VII 88: ὁ νόμος ὁ κοινός, ὅσπερ ἐστὶν ὁ ὀρθὸς λόγος διὰ πάντων ἐρχόμενος, ὁ αὐτὸς ὢν τῷ Διὶ καθηγεμόνι τούτῳ τῆς τῶν ὅλων διοικήσεως ὄντι. (Ceterum ad extrema verba cf. Dion. I 42.) Propius ad Chrysippum accedit Stob. anth. II c. VII 11 d p. 96 10 Wachsm.: Τὸν δὲ νόμον σπουδαῖον εἶναί φασι, λόγον ὀρθὸν ὄντα προστακτικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ ὧν οὐ ποιητέον.

His locis Stoicorum inter legem communem, qua totus mundus regitur, cui cum omnis natura tum rex paret, et leges singularum civitatum non distinguitur. Aliter Antisthenes; qui cum lege mundi vel divina neglecta de humanis vel civitatis legibus solis quaereret, τὸν σοφὸν dixit οὐ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους πολιτεύεσθαι, ἀλλὰ κατὰ τὸν τῆς ἀρετῆς. L. D. VI 11, Kaerst p. 21 n. 2. Itaque rex sibi ipse pro lege est, ut ait Aristoteles pol. III 3 p. 1284ᵃ 14: αὐτοὶ γάρ εἰσι νόμος. Fortasse etiam haec Antisthenis verba sunt, quem sequentibus Aristoteles laudat: λέγοιεν γὰρ ἂν ἴσως ἅπερ Ἀντισθένης ἔφη τοὺς λέοντας δημηγορούντων τῶν δασυπόδων καὶ τὸ ἴσον ἀξιούντων πάντας ἔχειν. Ceterum ne μυθολόγημα quidem quod sequitur ap. Aristot. l. l. p. 1284ᵃ 23 Argonautarum et Herculis ab Antisthenis ratione abhorret. Rex igitur vel ipse lex esse vel leges humanas non curare dicitur; utrumque habes uno loco Themistii I p. 15 b: βασιλεὺς καὶ αὐτὸς νόμος ὢν καὶ ὑπεράνω τῶν νόμων (cf. etiam eiusdem or. XV p. 212 d infra laud.); idem dicit Dio. or. III § 10: τῷ μείζονι τῶν νόμων et § 43: ὁ δὲ νόμος βασιλέως δόγμα. Cf. LXXVI 4: τῶν μὲν νόμων εἰσὶν οἱ βασιλεῖς ἐπάνω καὶ πολλὰ πράττουσι παρ' αὐτούς. Inde rex viva lex vel similiter appellatur. Ac primum quidem Xen. Cyrop. VIII 1 22:

τὸν δὲ ἀγαθὸν ἄρχοντα βλέποντα νόμον ἀνθρώποις ἐνόμισεν, ad quem locum Hertlein affert Cic. legg. III 1 2: magistratum legem esse loquentem legem autem mutum magistratum. Cf. R. Hirzel, Νόμος ἄγραφος. Commentatt. soc. litt. Saxon. t. XX, 1. Lps. 1900, p. 52 n. 4, p. 80 n. 4.

Apud posteriores saepissime invenis dictum regem esse νόμον ἔμψυχον a caelo missum: Themist. V 64 b: ἀλλὰ βούλει γνῶναι τὴν παρὰ φιλοσοφίας συντέλειαν; νόμον ἔμψυχον εἶναι φησι τὸν βασιλέα, νόμον θεῖον ἄνωθεν ἥκοντα. cf. VIII 118 d. XV 212 d: νόμος ἔμψυχος εἶ καὶ ὑπεράνω τῶν γεγενημένων.

XIX 228 a: τῷ δὲ (βασιλεῖ προσήκει) ἐπανορθοῦν καὶ τοὺς νόμους καὶ τὸ ἀπηνὲς αὐτῶν καὶ ἀμείλικτον παραδεικνύναι ἅτε νόμῳ ἐμψύχῳ ὄντι καὶ οὐκ ἐν γράμμασιν ἀμεταθέτοις καὶ ἀσαλεύτοις, et paulo ante 227 d: νόμων κύριος.

Aliter hoc vertit Libanius I p. 329 13: καίτοι τί μεῖζον ἢ τὸ κυρίους μὲν εἶναι τῶν νόμων αὐτούς, τοὺς δὲ νόμους αὐτῶν κυριωτέρους ποιεῖσθαι.

(Paucos ex his locis iam attulit Barner pp. 34 et 38.)

Hinc etiam Pythagorei ficticii: Archytas ap. Stob. fl. 43, 132: νόμος ἔμψυχος βασιλεύς.

Diotogenes ibid. 48, 61: ὁ δὲ βασιλεὺς ἤτοι νόμος ἔμψυχός ἐντι ἢ νόμιμος ἄρχων.

Muson. ibid. 48, 67: εἴπερ δεῖ αὐτόν, ὥσπερ ἐδόκει τοῖς παλαιοῖς, νόμον ἔμψυχον εἶναι.

Ultimo Themistii loco (p. 228 a) coniunguntur ea, quae si non Socrates ipse (Kaerst p. 21), at certe Antisthenes dixit, regem legibus superiorem esse et vivam legem cum iis, quae Stoici de lege divina protulerunt; cf. etiam Archyt. ap. Stob. fl. 43, 129: νόμοι ἄγραφοι πατέρες καὶ ἁγεμόνες τῶν γεγραμμένων νόμων καὶ δογμάτων. Cf. Hirzelii commentationem supra laudatam. Leges humanas regi subdit etiam Iustinian. nov. 105, 2 4 (‚105 4' per errorem ap. Kaerst. p. 98 n. 3): πάντων δὲ δὴ τῶν εἰρημένων ἡμῖν ἐξῃρήσθω ἡ βασιλέως τύχη, ᾗ καὶ αὐτοὺς ὁ θεὸς τοὺς νόμους ὑπέθηκε, νόμον αὐτὴν ἔμψυχον καταπέμψας τοῖς ἀνθρώποις.

Sua ratione utitur Plutarchus p. 780 c sic pergens: οὐκ ἐν βιβλίοις ἔξω γεγραμμένοις οὐδὲ ἔν τισι ξύλοις, ἀλλ' ἔμψυχος ὢν ἐν αὐτῷ λόγος.

Tantum igitur his locis cognovimus: Regem superiorem esse

legibus humanis (Dio III 10) Antisthenes dixit; idem fortasse regem legem esse videntem (Xen. Cyrup. VIII 1 22), nam Xenophontis Cyrupaediam cum Antisthenes doctrina coniunctam esse infra videbimus. Regem νόμον ἔμψυχον esse num Cynici iam dixerint, incertum, certe Stoici, qui tamen inde a Chrysippo legem divinam, qua Iovem ipsum subaudiendum esse volebant, omni mundo imperare dicebant, itaque regem quoque legi divinae subditum esse, quos etiam Plutarchus l. l. sequitur. Hoc temporibus liberae rei publicae Romanae facile fieri poterat; scriptores, qui imperatorum aetate fuerunt, Dionem, Themistium ad antiquiorum Cynicorum doctrinam redire vidimus. Ut enim philosophorum praecepta, sententiae, ipsa verba ad imperia Ptolemaeorum et Romanorum administranda alicuius momenti fuerunt, cuius rei exemplum mox afferemus, ita mutatis regnorum formis saepe etiam philosophia politica mutata est, id quod de Stoicorum doctrina docte exposuit Kaerst p. 76 sq.

De philosophorum doctrina et titulis regum. Redeamus ad Iuliani orationem II. Saepius inveniuntur verba ἐπ' ὠφελείᾳ:

86 a: ἐπιμελόμενος ἐν δίκῃ καὶ ἐπ' ὠφελείᾳ.

90 a: ὅσα μὲν ἀγαθὰ γέγονε ... ἐπ' ὠφελείᾳ κοινῇ τῶν ἀνθρώπων καὶ τοῦ παντὸς κόσμου (de deo loquitur).

91 a: κόλασις ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἀδικούντων.

Cf. Themist. II p. 38 a: μόνοι γὰρ οὗτοι νικῶσιν ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἡττωμένων.

Eodem loci pertinent, quibus rex bonus σωτήρ, κηδεμών, sim. appellatur: Xen. Ages. 11 13: μετὰ θεοὺς σωτῆρα.

Iulian. p. 87 a: σωτήρων.

— p. 88 b: σωτῆρες καὶ ἐπίκουροι τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως.

Plutarch. p. 780 d: ἀληθέστερον δ' ἄν τις εἴποι τοὺς ἄρχοντας ὑπηρετεῖν θεῷ πρὸς ἀνθρώπων ἐπιμέλειαν καὶ σωτηρίαν.

Dion. III 39: εἰ μὲν γὰρ εὐγνώμων καὶ φιλάνθρωπος καὶ νόμιμος ὢν ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ τῷ συμφέροντι τῶν ἀρχομένων ἐπιμελεῖται.

De Dion. or. XXXII § 26. Dio XXXII 26: ἐκείνων μὲν οὖν εἰσι βασιλεῖς, θεοὶ ἐπὶ σωτηρίᾳ κοινῇ γεγονότες, κηδεμόνες ὄντες καὶ προστάται χρηστοὶ καὶ δίκαιοι κτλ.

Hic Dionis locus temptatus est a vv. dd. Iam Geel l. c. p. 291 pro θεοὶ proposuit θεῖοι οἱ eo sensu: ‚ex iis divini reges

sunt vel vocantur ii, qui omnibus saluti sunt' et postea: ,contra qui duri et immites, tyranni habentur'. Sed non necesse est Dionem verbo θεῖοι bonos reges a tyrannis secernere. βασιλεῖς Dioni, hoc maxime loco, cui similis est III 42 sqq., boni reges sunt; cf. infra XXXII 27: τῆς θείας καὶ βασιλικῆς φύσεως, quod non dixisset, si φύσις βασιλικὴ non per se ipsa θεία esset; et supra § 25 reges et tyrannos cum uno verbo complecti vellet, diserte dixit ἀνδρὶ δυνάστῃ καὶ ἄρχοντι πλεόνων, non βασιλεῖ. Merum autem ornamentum, epitheton more Homeri, qui ipse θείων βασιλέων habet, ornans hoc loco, quo inter duo regentium hominum genera distinguitur, aptum non est, quod contra Geelium recte dixit Unger, Zeitschr. für Alterthumswissenschaft 1842 p. 1196. Quae autem contra Geelium diximus multo magis etiam cadunt in Ungeri coniecturam, qui ἐτεοὶ pro θεοὶ proponit. Aliud est, quod Dio LXXV 8 dicit ὁ τοῦ Διὸς ἐτεὸς υἱός; ceterum h. l. optimi codd. habent ἑστώς, ἐτεῶς Dindorf, ἐτεὸν Emperius cum lectione marginali Morellii, θεούς de Arnim cum Wilamowitzio, sed ἑστώς genuinum videtur, cf. Bernaysii opusc. I p. 36. Quod vero Platonis locum Polit. 269 b ab Ungero laudatum attinet, ubi legitur ὁ ἀληθινὸς βασιλεὺς et ὁ τῷ ὄντι τύραννος vix exponere opus est quam dubiam Graeci Platonis aetate de rege habuerint sententiam et qualis fuerit Dionis Traiano amicissimi. Emperius quoque Zeitschr. f. Alt. 1841 p. 360: ,Gewiss ist θεοὶ verdorben' et de Arnim in apparatu pro θεοὶ posuit βουλήσει θεοῦ. Abstinendum plane coniectura. Haec verba dicta sunt temporibus imperatorum, dicta Alexandriae, in Aegypto, ubi praeter ceteros inde a Ptolemaeis reges et imperatores honoribus divinis colebantur. Cum apud Romanos divi appellarentur primo Caesares mortui, postea imperator vivus deus, sicuti Domitiani hic titulus sollemnis fuit: ,dominus et deus noster' (Mommsen, Staatsrecht II[3] 759, 3), Aureliani nummi praebent ,deus' vel ,deo et domino nato' (ibid. 760, 2) Graeci vocem divi in θεός verterunt, non in θεῖος (Preller, myth. Rom. II[3] 442). σωτήρων nomine Caesar et Augustus maxime colebantur (ibid. 448), θεοὶ σωτῆρες Ptolemaei satis noti sunt. Proxime ad Dionis Alexandrinae locum accedunt, quae leguntur in titulo Caesaris Ephesino CIG 2957 et 2369 = Le Bas-Waddington 142: θεὸς ἐπιφανὴς καὶ κοινὸς τοῦ ἀνθρωπίνου βίου σωτήρ (cf. Preller, l. c. p. 449, 3. Kaerst p. 86, 1).

Sed etiam aliis imperatorum cognominibus, quae in inscriptionibus saepe inveniuntur, scriptores utuntur, cf. Iulian. p. 92 b καθάπερ ἀγαθὸν δαίμονα, Dion. I 15, III 51, Iulian II p. 66 a etc. (supra p. 30): εὐσεβής etc. Dion. I 39 = XII 75: Ζεὺς Ἐλευθέριος, quocum rex comparatur.

Nihil igitur inauditi erat, si reges Dio θεοὺς vocabat ἐπὶ σωτηρίᾳ κοινῇ γεγονότας, idque apud Alexandrinos, qui ipsi σωτῆρα καὶ θεὸν appellabant histrionem aliquem vel cantatorem, mancipium abiectum atque perditum (Dio XXXII 50).

De fonte Dionis et Iuliani. Vidimus Iulianum et Dionem ex eodem auctore sua sumpsisse; sed hic auctor ipse iam complura scripta videtur coniunxisse; alteram enim Iulianeae orationis partem (80 b—85 a = Dion. III 33—37 et XV) Cynicis tribuimus, alteram (86 a—92 c = Dion. I 15—31 = III 51 sqq.) Stoicis.

Animadvertas denique velim ordinem Iuliani a Dionis oratione prima differre. Priore enim loco apud Iulianum 86 d est ἀνδρεῖος, sequitur 86 c φιλόπονος, apud Dionem praecedit § 21 φιλόπονος, posterior est § 27 φιλότιμος . . . πολεμικὸς . . . εἰρηνικός. Pristinum ordinem cur Iulianus mutare voluerit, non video; Dio poterat mutare, atque id hac de causa: quae enim scripta sunt apud Dionem §§ 22—26, ad amicitiae partem pertinent, de qua inde a § 31 dicit; sicuti in or. III fere eadem ibi dicuntur, ubi de amicitia loquitur. Hoc quoque indicio est Iulianum non ex Dione hausisse.

Ut autem Dio multa omisit, quemadmodum ipse dicit I 33 (τὰ πολλὰ ἀφείς), quae Iulianus praebet, ita multa apud hunc desiderantur, quae apud illum invenimus. Atque vel maxime hic afferenda sunt, quae de amicitia in prima oratione brevius, in tertia copiosius exponuntur. Sed etiam regem hominum saluti prospicere et magis laborare quam ceteros cum Iulianus breviter dixerit, Dio III 55—85 multis exemplis probat. Cuius partis recensione altera de Iove dicit, altera de Sole. Utraque autem comparatio apud posteriores scriptores latissime patet.

De rege Iovis imitatore. Rex ζηλωτὴς vel εἰκὼν Διὸς vel θεοῦ appellatur. Permultis locis a Barnero ex Plutarcho, Themistio, Libanio collectis addendi sunt loci Stoici pseudopythagorici, qui sunt in Stobaei flor. 47, 22 (Ἐκφάντου περὶ βασιλείας): θειότερον δὲ quam ceteri homines, qui terrestres sunt quamquam spi-

ritu patris divini inspirati, ὁ βασιλεὺς ἐν τᾷ κοινᾷ φύσει πλεονεκτέων τῷ κρέσσονι, τὸ μὲν σκᾶνος τοῖς λοιποῖς ὅμοιος, οἷα γεγονὼς ἐκ τᾶς αὐτᾶς ὕλας, ὑπὸ τεχνίτα δ' εἰργασμένος λῴστω, ὃς ἐτεχνίτευσεν αὐτὸν ἀρχετύπῳ χρώμενος ἑαυτῷ. Cf. ibid. 48 64, ubi eiusdem Ecphanti alteram recensionem habemus: ἀριστοφυέστατον μὲν ἄνθρωπος, θειότατον δὲ βασιλεὺς κτλ. . . . βασιλῆα χρῆμα εἰλικρινές τε καὶ ἀδιάφθορόν ἐστι. Cf. etiam 48 66. Sed Stoici haec quoque Cynicis debent: Laert. Diog. VI 51 (Diogenes ait) τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας θεῶν εἰκόνας εἶναι. Ceterum ne Aristotelis παμβασιλεία plane aliena est, quam habet etiam Themist. XVIII p. 219 d.

Quae de Iovis cognominibus disputantur — Dio I 39 (III 50) = XII 75, Themist. IV 64 c — , Stoicorum propria sunt; cf. Ps.-Arist. π. κόσμου VIII 401 b. Zeller II³ 1, 631 sqq. Wegehaupt p. 47. Hagen l. l. p. 28. De Posidonio cogitat Wendland, Arch. f. Gesch. d. Ph. I 208.

De rege Solis imitatore. Praeter Iovem rex bonus solem imitatur. Idem apud posteriores sescenties invenitur. Locos collegit plurimos Barner, quibus adde ex Epicteti capite, quod est περὶ κυνισμοῦ (III 22) § 5: σὺ ἥλιος εἶ. δύνασαι περιερχόμενος ἐνιαυτὸν ποιεῖν καὶ ὥρας καὶ τοὺς καρποὺς αὔξειν καὶ τρέφειν καὶ ἀνέμους κινεῖν καὶ ἀνιέναι καὶ τὰ σώματα τῶν ἀνθρώπων θερμαίνειν συμμέτρως. Cf. Dion. III 74. 75 sqq. Neque praetereatur eiusdem Epicteti locus I 19 11, quo exemplis Iovis et solis demonstratur eum, qui sibi ipsi bene consulere velit, aliis prodesse oportere et inter Iovis cognomina Ἐπικάρπιος (cf. Dion. I 41. XII 75. 77) affertur. Idem denique Epictetus audiatur ap. Stob. flor. 46 88: ὥσπερ ὁ ἥλιος οὐ περιμένει λιτὰς καὶ γοητείας ἵν' ἀνατείλῃ, ἀλλ' εὐθὺς λάμπει καὶ πρὸς ἁπάντων ἀσπάζεται, οὕτω μηδὲ σὺ περίμενε κρότους καὶ ψόφους καὶ ἐπαίνους ἵν' εὖ ποιήσῃς, ἀλλ' ἑκοντὴς εὐεργέτει καὶ ἴσα τῷ ἡλίῳ φιληθήσῃ. — Ad Dion. III 80 proxime accedit Xen. Cyrup. VI 2 29 et mem. IV 3 8, quos locos Dionem imitari post Geelium p. 154 putant Hagen p. 30 et Wegehaupt p. 13. Sed cum Cynica certe in mem. IV 3 inesse demonstraverint Duemmler Akad. 96 sqq. et Ioel I 547 sqq., haud scio an recte Sonny Anal. 164 ad ipsum Antisthenem Dionem et Xenophontem revocaverit[1].

[1] Apud Xenophontem in eadem Cyri oratione brevi postea se-

Non mirareris similia apud Stoicos inveniri, etiamsi non diserte diceret Themistius II 27 c: εἰ δ' αὖ φήσειέ τις κολακείαν εἶναι τῷ Πυθίῳ παραβάλλειν τὸν βασιλέα, Χρύσιππος μὲν ἡμῖν καὶ Κλεάνθης οὐ συγχωρήσει καὶ ὅλον ἔθνος φιλοσοφίας ἢ ὁ ἐκ τῆς ποικίλης χορός, οἱ φάσκοντες εἶναι τὴν αὐτὴν ἀρετὴν καὶ ἀλήθειαν ἀνδρὸς καὶ θεοῦ. Cf. etiam Them. XI 150 b: ὥσπερ ὁ παμμέγας ἥλιος ἢ ὁ τοῦ ἡλίου δημιουργός. Quorum in numero Plutarchi quoque libellum ad principem ineruditum scriptum habendum esse iam supra p. 32 vidimus, etiamsi Plutarchus interdum contra Stoicos pugnet (p. 781 e, cf. 793 d); atque ille p. 780 c: κοσμεῖ δ' ἥλιος ἅπαντα καὶ πᾶσι τοῦτο δὴ τὸ παρ' αὑτοῦ φίλτρον ἐγκεράννυσιν . . . ἄρχων δ' εἰκὼν θεοῦ τοῦ πάντα κοσμοῦντος, et p. 781 f: οἷον δ' ἥλιος ἐν οὐρανῷ μίμημα τὸ περικαλλὲς αὑτοῦ δι' ἐσόπτρου εἴδωλον ἀναφαίνεται τοῖς ἐκεῖνον ἐνορᾶν δι' αὐτοῦ δυνατοῖς, οὕτω τὸ ἐν πόλεσι φέγγος εὐδικίας καὶ λόγου τοῦ περὶ αὐτὸν ὥσπερ εἰκόνα κατέστησεν.

Stoicam quoque doctrinam redolet Archytas cf. Stob. fl. 34, 134, qui Solem bona distribuere dicit.

Post Stoicos Neoplatonici Soli celebrando operam dederunt, ut Iamblichus, quem Iulianus or. IV sequitur (146 a, 150 d, 157 c); ibi 146 a: ῥᾷστα ἂν γνοίη (τις), πόσων αἴτιός ἐστι δι' αἰῶνος ἀγαθῶν τῷ κόσμῳ. Cf. Dion. III 57. 73. 81. Ἥλιον Iulianus 133 a θεὸν μέγιστον appellat, Dio III 57 οὐδενὸς ἐλάττω τῶν θεῶν ὄντα.

De regis Persarum ‚oculo'. Supra p. 20 verba § 118: ὥστε ὁ μὲν Πέρσης ἕνα τινὰ ἔσχεν, ὀφθαλμὸν βασιλέως λεγό-

---

quitur locus commemoratione dignus § 33: ὁ γὰρ λόγχην ἀκονῶν ἐκεῖνος καὶ ψυχήν τι παρακονᾷ. Cynici exemplo reginae apium usi docent regem natura ipsa cognosci, non nobilitate generis (Epictet. [π. κυνισμοῦ] III 22 99. Dio IV 62. Plut. praec. ger. reip. 17 p. 813 c. Iulian. or. II 89 d. Xen. Cyrup. V 1 24). Ut autem illa aculeo careat, ita regem neque armis confidere debere (Epictet § 94. Dio § 63) neque iracundum esse (Dio § 65) neque ipsum decere punire (Iulian. l. l.) putant. Σὺ δέ, ἔφη scil. Diogenes Alexandro, καὶ τὸν θυμὸν ἐν τῇ ψυχῇ φορεῖς ἠκονημένον. (Dio IV 65). Xenophon autem cum saepe Antisthenem sequatur, nonnumquam contra Antisthenis doctrinam dicat, cuius rei exempla demonstravit Ioel et ipsi etiam infra inveniemus, fortasse hoc quoque loco (Cyrup. VI 2 29) contra illum pugnat, quem verisimile est dixisse neque telo acuto neque animo acuto i. e. iracundo sapientem uti, vel simile aliquid.

μενον, καὶ τοῦτον οὐ σπουδαῖον ἄνθρωπον, ἀλλὰ ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων, ἀγνοῶν ὅτι τοῦ ἀγαθοῦ βασιλέως οἱ φίλοι πάντες εἰσὶν ὀφθαλμοί, defendere conati sumus. Verba quae humilia atque abiecta videbantur, quae quidem Wegehaupt p. 15, n. 1 ne sectatore quidem Xenophontis digna esse putet, maiore honore afficere placet. Forma simillima est Plutarcheis p. 780 c: ὁ μὲν γὰρ Περσῶν βασιλεὺς ἕνα τῶν κατευναστῶν εἶχε πρὸς τοῦτο τεταγμένον, ὥσθ' ἕωθεν εἰσιόντα λέγειν πρὸς αὐτόν· ἀνάστα ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν ὁ μέγας Ὡρομάσδης ἠθέλησε. τοῦ δὲ παπαιδευμένου καὶ σωφρονοῦντος ἄρχοντος ἐντός ἐστιν ὁ τοῦτο φθεγγόμενος ἀεὶ καὶ παρακελευόμενος.

Res ipsa apud Xenophontem est in Cyrupaedia. Qui postquam exposuit Cyrum eos homines, qui oculi atque aures regis appellarentur, donis sibi conciliavisse, multosque illis appellationibus usos esse, qui utile aliquid regi nuntiassent, pergit (VIII 2 11): Ἐκ τούτου δὴ καὶ πολλοὶ ἐνομίσθησαν βασιλέως ὀφθαλμοὶ καὶ πολλὰ ὦτα. Εἰ δέ τις οἴεται ἕνα αἱρετὸν εἶναι ὀφθαλμὸν βασιλεῖ, οὐκ ὀρθῶς οἴεται. Iam igitur ante Xenophontem dixerat quicumque fuit unum tantum fuisse regi Persarum ‚oculum', quem Xenophon refutandum esse curat, credo, ne non optimus rex Cyrus videatur fuisse. Quis ille fuit? De instituto illo Persarum iam accuratius disseruit, quem editores afferunt, Barnabas Brissonius, De regio Persarum principatu, cap. 190, edit. prior. p. 126, edit. alt. cur. Io. Henr. Lederlin, Argentorati 1710, p. 264 sqq. Paucos locos praebet Barner p. 11.

Certe Xenophon non contra Herodotum pugnat, qui de Cyro puero cum aliis pueris ludente ait (I 114): ὁ δὲ αὐτέων διέταξε τοὺς μὲν . . . ., τοὺς δὲ δορυφόρους, τῶν δέ κου τινὰ αὐτέων ὀφθαλμὸν βασιλέως εἶναι. Nam neque hoc loco negatur complures regis oculos fuisse, neque Aristoph. Ach. 94: καὶ νῦν ἄγοντες ἥκομεν Ψευδαρτάβαν τὸν βασιλέως ὀφθαλμόν, aut Plut. Artax. 12: Ἀρτασύρας ὁ βασιλέως ὀφθαλμός. Praeterea de uno regis oculo nemo tradit, quod quidem ego noverim, nisi Aristides or. XXVII K. = XVI Jebb. § 29: ὁ μὲν γοῦν τῶν Περσῶν βασιλεὺς ἐδόκει τι διάφορον κεκτῆσθαι τὸν καλούμενον βασιλέως ὀφθαλμὸν καὶ βασιλέως ὦτα· καὶ τοῦτο ἴσως μὲν ἦν τινα καὶ χρείαν ἔχον, τὸ δὲ πλεῖστον ἐμοὶ δοκεῖν ἀλαζόνευμα, ἵνα δὴ διπλᾶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ὁρᾶν καὶ ἀκούειν δοκοίη.

Aristides aut ex Dione aut ex fonte eius sua sumpsisse videtur. His igitur locis nihil proficimus.

De Dionis or. III et Xenophontis Cyrupaedia. Tantum vidimus scriptorem aliquem a Xenophonte refutari, qui Persarum mores vituperavit; eundem sequitur Dio. Sed paulo infra Dio §§ 135 sqq. ὁ δὲ ἀγαθὸς βασιλεὺς . . . κάλλιστον . . εὕρεμα ἡγεῖται κυνηγεσίαν . . . οὐ μέντοι τήν γε Περσικὴν θήραν. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ παραδείσοις περιλαβόντες, ὁπότε ἐπιθυμήσειαν, ὥσπερ ἐν εἱρκτῇ τὰ θηρία ἔκτεινον, ὡς μήτε ζητοῦντες πονεῖν μήτε αὖ κινδυνεύοντες, ἅτε ἀσθενῆ καὶ δεδουλωμένα κτλ. Audi Xenoph. Cyrup. VIII 1 38: ἐθήρα τὰ ἐν τοῖς παραδείσοις θηρία τρεφόμενα. Ibidem vv. VIII 1 31: διῄρει δὲ αἰδῶ καὶ σωφροσύνην τῇδε κτλ. . Ioël I 489 n. 2 Cynicorum simillima esse demonstravit. Dio vero aliis quoque orationis nostrae locis cum Cyrupaedia maximeque libri VIII cap. 2 consentit:

Dio § 108: καὶ τοίνυν οὐχ ἧττον αἱ τῶν φίλων εὐπάθειαι τὸν ἀγαθὸν πεφύκασιν εὐφραίνειν τῆς αὐτοῦ τινος τέρψεως. Cyrup. VIII 2 2: καὶ τῷ συνηδόμενος μὲν ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς φανερὸς εἶναι. — Mem. II 6 35: ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς τῶν φίλων χαίρεις οὐδὲν ἧττον ἢ ἐπὶ τοῖς σαυτοῦ. Iulian. II p. 44 d: χαίρεις μὲν ἐπὶ τοῖς τῶν ἄλλων ἀγαθοῖς.

Dio § 132: αἱ παρὰ τίνος δὲ τιμαὶ φανερώτεραι; Cyrup. VIII 2 8: τίνος δὲ δῶρα γιγνώσκεται ὥσπερ ἔνια τῶν βασιλέως;

Dio § 112: μᾶλλον μὲν ὑπὸ τῶν νεωτέρων ἀγαπώμενος ἢ οἱ γονεῖς, μᾶλλον δὲ ὑπὸ τῶν πρεσβυτέρων ἢ τοὺς παῖδας ἀγαπῶσι κτλ. Cyrup. VIII 2 9: αἱρεῖσθαι αὐτὸν καὶ ἀντ' ἀδελφῶν καὶ ἀντὶ πατέρων καὶ ἀντὶ παίδων.

Dio § 112: μᾶλλον δὲ ὑπὸ τῶν ἀκοῇ μόνον ἀκουόντων (scil. ἀγαπώμενος) ἢ οἱ σφόδρα ἐγγὺς ὄντες ἀγαπῶσι. Cyrup. I 1 3: Κύρῳ γοῦν ἴσμεν ἐθελήσαντας πείθεσθαι τοὺς μὲν ἀπέχοντας παμπόλλων ἡμερῶν ὁδόν, τοὺς δὲ καὶ μηνῶν, τοὺς δὲ οὐδ' ἑωρακότας πώποτ' αὐτόν, τοὺς δὲ καὶ εὖ εἰδότας, ὅτι οὐδ' ἂν ἴδοιεν.

De propinquorum amore simili modo, quo Dio § 119, Cyrus filios admonet Cyrup. VIII 7 13, cf. Sall. Iug. 10: quis autem amicior quam frater fratri? (Hertlein). Adde his Xen. Ages. 11 13. Hier. 11 14 (verba infra p. 43 adscripsi).

De Xenophonte Antisthenis sectatore. De Xenophontis Agesilao Cynico Duemmlerum disseruisse vidimus (Philol. LIV 577

—586), cuius argumentatio et aliis et eiusdem capitis XI loco nititur. Iam vidimus Ages. 11 9 cum Dionis § 123 aliquo modo cohaerere. Quid? Paulo ante § 8 Xenophon ait: Ἀεὶ δὲ δεισιδαίμων ἦν νομίζων τοὺς μὲν καλῶς ζῶντας οὔπω εὐδαίμονας, τοὺς δ' εὐκλεῶς τετελευτηκότας ἤδη μακαρίους, quibuscum conferas Antisth. ap. L. D. VI 5: ἐρωτηθείς, τί μακαριώτατον ἐν ἀνθρώποις. ἔφη· τὸ εὐτυχοῦντα ἀποθανεῖν, ad quem locum Ioël I 360 not. 1 Antisthenis περὶ τοῦ ἀποθανεῖν et περὶ ζωῆς καὶ θανάτου et Plat. Prot. 351 b attulit. Duemmler l. l. p. 582 (not. 6) queritur, quod de necessitudine, quae inter Cyrupaediam Xenophontis et Antisthenis Cyros dialogos intercedat, certiores fieri non possumus: ,Während wir nun leider nicht wissen, wie sich die Kyrupaedie zu Antisthenes' Kyrosschriften verhält — vermuthlich ist sie älter oder wenigstens von Antisthenes weniger berührt'. Extremis verbis errat v. d. Rectius Ioel I 410 not. 3: ,Xenophon lässt gerade in den theoretischen Dialogen der Cyropaedie teils den Einfluss des Kynismus, teils eine Auseinandersetzung mit ihm hervortreten', quod idem in Memorabilibus fecit. Supra p. 26 Kaerstium secuti sumus, qui Cyrop. VIII 2 14 ex Antisthene fluxisse coniecerat. Memineris denique, quaeso, quae supra pp. 33 sqq. de doctrina legis ad Xen. Cyrup. VIII 1 22 diximus. Itaque et Dionem et Xenophontem Antisthene usos esse existimo.

De Antisthenis Cyris. Antisthenis apud Diogenem Laertium duo traduntur libri, quibus nomen Cyri inscriptum erat: Κῦρος, Κῦρος ἢ περὶ βασιλείας. Cyrum aliquem Antisthenis dialogum Cic. ad Att. XII 18 maxime laudat. Demonstratum erat in Cyro, ὅτι ὁ πόνος ἀγαθόν (L. D. VI 1. 2), quod apud Dionem or. III passim occurrit. Hunc dialogum si Dioni ante oculos fuisse recte conicimus, apparet instituta Persarum ab Antisthene vituperata fuisse, itaque Xenophonti, qui Cyrum regem optimum esse voluit, interdum contra Antisthenem dicendum erat, quamquam qualem regem bonum esse oporteret, nulla inter eos fuit controversia. Colloquebantur autem vir sapiens et Cyrus in dialogo Antisthenis, quod concludere licet ex Epictet. diss. IV 6 20 (M. Antonin. VII 36. L. D. VI 3. fr. III p. 18 Winck.): βασιλικόν, ὦ Κῦρε, πράττειν μὲν εὖ, κακῶς δ' ἀκούειν. Instituta autem Persarum in altero Cyro vituperata esse Athenaeus V 220 c tradit: Ἀντισθένης δ' ἐν θατέρῳ τῶν Κύρων κακολογῶν Ἀλκιβιάδην καὶ παράνομον εἶναι λέγει καὶ εἰς γυναῖκας καὶ εἰς τὴν ἄλλην δίαιταν. συνεῖναι γάρ φησιν αὐτὸν καὶ μητρὶ καὶ θυγατρὶ καὶ ἀδελφῇ, ὡς Πέρσας.

Hunc locum secutus Winckelmann si recte cetera quoque, quae Antisthenes de Alcibiade tradidit, Cyro dialogo attribuit, crediderim alterum Cyrum dialogum a Cyro minore nomen accepisse atque in hoc dialogo hominem aliquem cum Cyro de Alcibiade locutum esse et Cyrum docuisse, quis rex bonus appellandus sit, atque id simili modo, quo Hiero apud Xenophontem a Simonide docetur.

De Dionis or. III et Xen. Hierone. Nam Dioneae orationis III permulta Hieronis Xenophontei locis similia sunt.

— Dio § 86: φιλίαν . . ἁπάντων . . . κτημάτων κάλλιστον. — Hiero 3 3: φιλία μέγιστον ἀγαθὸν καὶ ἥδιστον ἀνθρώποις.

— Dio § 58: τοῖς ἰδιώταις οἱ νόμοι παρέχουσι τὸ μὴ ἀδικεῖσθαι. — Hiero 6 8-11 (§ 10: αὐτῶν μὲν γὰρ προφυλάττουσιν οἱ νόμοι).

— Dio § 97: ποία μὲν γὰρ εὐφροσύνη προσφιλής . . . . ποῖον δὲ συμπόσιον ἡδὺ χωρὶς εὐνοίας τῶν παρόντων; — Hiero 4 1: ποία μὲν γὰρ ξυνουσία ἡδεῖα ἄνευ πίστεως τῆς πρὸς ἀλλήλους;

— Dio § 98: οὐ γὰρ καὶ τὰ ἀφροδίσια ταῦτα ἥδιστα κτλ. — Hiero 4 1: ποία δ' ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ τερπνὴ ἄνευ πίστεως ὁμιλία; cf. 1 27-30.

Dio § 103: πλείους δὲ οἱ ἐπαινοῦντες, cf. § 60: μετ' ἐπαίνου ἢ μετὰ ψόγου. — Hiero 1 16: συγχωρῶ τοὺς ἐπαίνους παρὰ τῶν ἐλευθερωτάτων ἡδίστους εἶναι. Cf. Ages. 6 8: πολυεραστότατος δὲ καὶ πολυεπαινετώτατος ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων. Ages. 11 9: ἐπαινούμενος γοῦν ἔχαιρε μᾶλλον ἢ χρήματα κτώμενος, quibus quae praecedunt μετ' ὀλίγων δέ μοι ἐδόκει ἀνθρώπων κτλ. sine dubio Cynica sunt, cf. supra p. 27 et infra p. 45. — Ad totam Dionis § 103 cf. etiam Xen. mem. IV 4 17.

— Dio § 109 sq.: πολλάκις ἂν εἴη πλούσιος ὁ τοῖς φίλοις μεταδιδοὺς τῶν παρόντων κτλ. — Hiero 11 13: πλούτιζε μὲν τοὺς φίλους. σαυτὸν γὰρ πλουτιεῖς.

— Dio § 119: ὅς γε τοὺς οἰκείους καὶ τοὺς συγγενεῖς μέρος νενόμικε τῆς αὑτοῦ ψυχῆς. — Hiero 11 14: τοὺς δὲ φίλους τέκνα σεαυτοῦ, τοὺς δὲ παῖδας ὅτιπερ τὴν σὴν ψυχήν. Cf. etiam 3 7-9.

Supra Hieronis 1 16 attulimus; eodem conexu 1 14 legitur: τοῦ μὲν ἡδίστου ἀκροάματος ἐπαίνου, quo referendum videtur Porphyr. ad Hor. sat. II 2 94: *Antisthenes* dixisse traditur (scil. Horatii verba:

Das aliquid famae, quae carmine gratior aurem
occupat).

Is enim cum vidisset adulescentem luxuriosum acroamatibus deditum, ait: miserum te, adulescens, qui numquam audisti summum acraoma, laudem tuam. (Winckelmann p. 53) cf. Xen mem. II 1 31 (in fabula Prodici, quem quantopere Antisthenes secutus sit, Duemmler in Academicis exposuit): τοῦ δὲ πάντων ἡδίστου ἀκούσματος, ἐπαίνου ἑαυτῆς, ἀνήκοος εἶ.

Vestigia Cynica vel Stoica. Praeterea singuli loci Cynici vel Stoici, quos adhuc non attulimus, in oratione nostra hi notandi sunt:

Ad §§ 51 sqq. cf. Laert. Diog. VII 119: θεοσεβεῖς τε τοὺς σπουδαίους . . . 120: δοκεῖ δ' αὐτοῖς καὶ γονέας σέβεσθαι καὶ ἀδελφοὺς ἐν δευτέρᾳ μοίρᾳ μετὰ θεούς. Cf. §§ 119 sqq. maximeque Iulian. p. 86 a.

Dio § 53: ἡγεῖται δὲ τὴν μὲν ἀρετὴν ὁσιότητα, τὴν δὲ κακίαν πᾶσαν ἀσέβειαν. Iulian. p. 70 d: θετέον δὲ ἐν ἀρετῆς μοίρᾳ τὴν εὐσέβειαν τὴν κρατίστην. Stob. anth. II c. VII 11 k p. 105 24 Wachsm.: Ἀρέσκει δὲ (Stoicis) καὶ πᾶν ἁμάρτημα ἀσέβημα εἶναι.

Vocem τὸ προσῆκον (§ 55) ab Antisthene adamatam esse probat Ioël I 515 sq. 525; locis ab illo congestis adde Dion. III 71. XIII 12, Antisth. ep. ad Aristipp. (epp. Socr. 15) p. 45. Winck. καὶ τούτων ἀντέχῃ, ὧν μὴ προσήκει τοὺς φρονίμους ἄνδρας.

Neque non Cynica sunt σπουδαῖος (Dio 55. 118 Antisth. L. D. VI 12: οἱ σπουδαῖοι φίλοι) et τὰ αὑτοῦ πράττειν (Dio. 55. Ioël l. l.).

Ad or. § 88: τὰς δὲ ἡδονὰς μείζους καὶ ἀβλαβεστέρας, ὅταν γίγνωνται μετὰ τοὺς πόνους cf. Antisth. ap Stob. fl. 45, 28 = fr. inc. XII p. 59 Winck.: Ἡδονὰς τὰς μετὰ τοὺς πόνους διωκτέον, ἀλλ' οὐχὶ πρὸ τῶν πόνων.

Dio § 97: ποῖον δὲ συμπόσιον ἡδὺ χωρὶς εὐνοίας τῶν παρόντων;

Antisth. ap. Stob. anth. t. III cap. 1, 28 p. 13, 6 Hens. = 1, 30 Mein. = apophth. 6 p. 57 Winck. οὔτε συμπόσιον χωρὶς ὁμιλίας οὔτε πλοῦτος χωρὶς ἀρετῆς ἡδονὴν ἔχει.

Ad Dion. § 103 praeter locos Xenophonteos supra allatos cf. Laert. Diog. VII 124 καὶ τὴν πολυφιλίαν ἀγαθὸν (Stoici esse dicunt).

Themist. I p. 10c: τοσούτους ὁρᾷ φίλους, ὁπόσους ἀνθρώπους, ibid. XXXIV § 26 p. 67 M. p. 468 Ddf.: βασιλεῖ δὲ . . . . οὔτε ἐχθρὸν ἀνθρώπων εἶναι θέμις οὔτε δυσμενῆ.

Ad §§ 104—107 cf. Xen. Mem. II 4 7: ἃ δὲ αἵ τε χεῖρες ἑκάστῳ ὑπηρετοῦσι καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ προορῶσι καὶ τὰ ὦτα προακούουσι καὶ οἱ πόδες διανύτουσι, τούτων φίλος εὐεργετῶν οὐδενὸς λείπεται· πολλάκις δὲ ἃ πρὸ αὑτοῦ τις οὐκ ἐξειργάσατο ἢ οὐκ εἶδεν ἢ οὐκ ἤκουσεν ἢ οὐ διήνυσε, ταῦτα ὁ φίλος πρὸ τοῦ φίλου ἐξήρκεσεν.

Dio § 113: φιλοσυγγενέστατος δὲ ὢν καὶ φιλοικειότατος ἔσθ' ὅπῃ μεῖζον ἀγαθὸν νενόμικε τὴν φιλίαν τῆς συγγενείας κτλ. Antisth. ap. Laert. Diog. VI 12: τὸν δίκαιον περὶ πλείονος ποιεῖσθαι τοῦ συγγενοῦς. Themist. XIV p. 182 b: καὶ σοφῶς Γρατιανὸς καὶ πολιᾶς, οὐ νεότητος ἐπαξίως, ὅτι μὴ τὸν οἰκειότατον ἄριστον, ἀλλὰ τὸν ἄριστον ὑπέλαβεν οἰκειότατον. XV p. 203 d—204 a: ἔργῳ φανερὸν κατέστησας, ὅτι τῷ κρατοῦντι τῶν ὅλων οὐχ ἧττον ἔντιμον εἶναι προσήκει τὸ κατ' ἀρετὴν ὑπερέχον τῶν κατὰ γένεσιν ἐγγυτάτω, καὶ μὴ τὸν οἰκεῖον ἄριστον ὑπολαμβάνειν, ἀλλὰ τὸν ἄριστον οἰκειότατον. Cf. Prov. Sal. 18 24: וְיֵשׁ אֹהֵב דָּבֵק מֵאָח i. e.: ‚nonnumquam ab amico magis diligimur quam a fratre.'

Sed Themistius sua Graecis, non Hebraeis debet; quamquam enim ter (VII 89 d. XI 147 b. c. XIX 229 a) Proverb. Sal. 21 1 affert, semper addit Ἀσσύρια γράμματα vel λόγον τοῦ Ἀσσυρίου esse.

Contraria eis, quae paradoxe dicuntur apud Dionem § 113 sq. neminem ab amico iniuria affici posse, iuvenis Xen. mem. II 5 4.

§ 123: mirum in modum accedit ad Xenophontis Ages. 11 9: μετ' ὀλίγων δέ μοι ἐδόκει ἀνθρώπων (cf. supra p. 27) οὐ καρτερίαν τὴν ἀρετήν, ἀλλ' εὐπάθειαν νομίζειν, ubi Antisthenis vestigia repperit Duemmler, Philol. LIV 583, atque ita ut Xenophon sive Antisthenes Dionis verbis quasi corrigatur, quod a Stoico quodam scriptore factum esse veri dissimile non est. Verba vero prima § 124 ταὐτὰ δὲ ἡγεῖται συμφέροντα καὶ ἡδέα inter Stoicorum paradoxa inveniri quis est quin sciat?

De reipublicae generibus. Pauca etiam dicenda sunt de variis reipublicae generibus, quae enumerantur apud Dionem §§ 42 sqq. Haec ad Protagorae Καταβάλλοντας redire Ern. Maass in Hermae vol. XXII pp. 581 sqq. non satis mihi videtur probasse. Sed utcum-

que res se habet, Dio certe scriptis Socraticis, ut ipse dicit § 42, usus est. Cynici regnum optimam reipublicae formam esse putabant (μάλιστα δυνατή, Dio § 45. Kaerst p. 20 n. 1), nec non Stoici priores: Plut. 790 a: ἥ γε βασιλεία τελεωτάτη πασῶν οὖσα καὶ μεγίστη τῶν πολιτειῶν πλείονας φροντίδας ἔχει καὶ πόνους καὶ ἀσχολίας. Cum Dionis definitione § 43: λέγεται γὰρ ἡ μὲν ἀρχὴ νόμιμος ἀνθρώπων διοίκησις καὶ πρόνοια ἀνθρώπων κατὰ νόμον, βασιλεία δὲ ἀνυπεύθυνος ἀρχή, cf. Stob. anth. t. II, cap. 7, 11 m p. 108 27 Wachsm. (Stoici dicunt): τὴν γὰρ βασιλείαν ἀρχὴν ἀνυπεύθυνον εἶναι καὶ τὴν ἀνωτάτω καὶ τὴν ἐπὶ πάσαις (Kaerst p. 67) et Plut. p. 826 f.: αὐτοκρατῆ βασιλείαν καὶ ἀνυπεύθυνον.

Stoici posteriores mixtam reipublicae formam optimam esse putabant, v. R. Hirzel, Unterss. zu Cic. philos. Schr. II 2 p. 856. Locis a Kaerstio p. 77 not. 2 allatis adde Pseudopythagoricos ap. Stob. fl. 43, 94 et 134. Qua cum ratione convenit, quod priores sicuti supra pp. 34 sq. statuimus, regem legibus superiorem esse volebant, posteriores divinae legi eum parere. Illos autem Dio et § 10: τῷ μείζονι τῶν νόμων et nostro loco § 43: ὁ δὲ νόμος βασιλέως δόγμα sequitur, hos or. I 75.

Iam ut omnia complectamur brevi, quae invenimus:

Antisthenes in Cyro dialogo, qui erat περὶ βασιλείας, *instituta Persarum vituperaverat. Quem Xenophontis Cyrupaedia et sequitur et oppugnat. Iulianus or. II minime Dionem solum sequitur, sed uterque eodem auctore usus est, qui Antisthenica cum Stoicis miscuit. Fortasse praeterea iis maxime locis, quibus de rege Persarum agitur, Antisthenes ipse Dioni praesto fuit.* Quae de sole dicuntur, Stoicis maxime deberi videntur; quo in numero etiam habendi sunt Pythagorei ficticii. Plutarchi libellus ‚ad principem ineruditum' scriptus etsi a Dionis et Iuliani propositione non plane abhorret, tamen ad Chrysippi quoque librum περὶ νόμου scriptum accedit. Vestigia Politici dialogi Antisthenici apud Dionem et Plutarchum incerta sunt.

VITA.

Natus sum Paulus Fischer Ratzeburgii die XVI mens. Sept. anni MDCCCLXXI patre Ernesto directore nunc gymnasii Cliviensis, matre Maria de gente Bobertag, quibus superstitibus valde gaudeo. Fidem confiteor evangelicam. Litteras didici per novem annos in gymnasio Adolfino Moersensi. Vere anni MDCCCXC maturitatis testimonio instructus primum per bis senos menses Gryphiswaldiae, deinde per idem tempus Berolini, postremo usque ad autumnum anni MDCCCXCIV Bonnae studiis philologis, theologicis, historicis operam dedi.

Docuerunt me vv. dd. Bernheim, Maass, Marx, Medem, de Nathusius, Preuner, Schlatter, Schulze, Schuppe, Susemihl, Ulmann, Zoeckler Gryphiswaldenses, † Curtius, Diels, Harnack, Kekulé de Stradonitz, Paulsen, Scheffer-Boichorst, Ericus Schmidt, † de Treitschke, Vahlen Berolinenses, Bender, Buecheler, Elter, Grafe, Jacobi, Kamphausen, Loeschke, Meinhold, † Juergen Bona Meyer, Nissen, Sell, Usener, Wiedemann Bonnenses. Proseminarii philologi sodalis fui Gryphiswaldiae per annum, Bonnae per sex menses, Buecheleri Elteri Useneri benevolentia in seminarium philologorum Bonnense receptus sum, cuius sodalis fui per ter senos menses, praeterea interfui disputationibus seminariorum historici et theologici Gryphiswaldensis, historici Berolinensis, theologici Bonnensis; ad exercitationes suas benigne me admiserunt philologas Buecheler, Susemihl, Vahlen, archaeologicas † Curtius, Kekulé de Stradonitz, Loeschcke, philosophicas Paulsen. Quibus viris doctissimis omnibus gratiam habeo maximam, praecipue vero Buechelero, Eltero, Usenero. Useneri autem doctrina atque consilio in hac dissertatione perficienda frui mihi licuit.

Postquam Bonnae examen pro facultate docendi absolvi et stipendia merui, Confluentibus, Cliviae, tunc inde a vere anni MDCCCXCVIII usque adhuc Steelae pueris instituendis atque educandis operam navavi.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Recte olim indicavit Leop. Schmidt in indice Marp. hib. a. 1868 optativum quem dicimus potentialem non modo apud poetas, sed etiam in oratione pedestri particula ἂν certis condicionibus interdum carere.

2. Plutarchus et Dio Chrysostomus cum orationem exemplis historicis aut mythologicis ornaturi erant, collectionibus in hunc usum factis uti solebant. Qua in re nonnumquam iis accidit, ut plura inde sumerent, quam quae ad rem apta erant, sicuti Plutarcho mor. p. 58 d in exemplo Apellis et Megabyzi, quo idem alio loco p. 471 f apte utitur, Dioni in fabula virginis XXXII 78.

3. Σαρδάνιον γελᾶν Graeci dicebant (Hom. υ 302); ineptis posteriorum fabellis haec vox ex Sardinia insula originem duxisse putabatur; itaque etiam forma σαρδόνιος invenitur. Cum Dio or. XXXII 99 τὴν βοτάνην diceret τὴν σαρδάνιον καλουμένην, de Sardinia non cogitabat; melior igitur atque vetustior forma σαρδάνιον, quam optimi codices praebent, in editionibus nostris recipienda erat.

4. Legitur apud Dionem XXXII 31: οὐ γὰρ ὑμεῖς μέν, ἄν τις ἀσχημονῇ τῶν μειζόνων . . . καταφρονήσετε αὐτοῦ . . . , αὐτοὶ δὲ δύνασθε σεμνοὶ δοκεῖν . . . τοιαῦτα πράττοντες. Opponuntur τῶν μειζόνων τις et ὑμεῖς αὐτοί; lege igitur ὑμεῖς, ἂν μέν τις.

5. In eadem oratione § 56 legimus: μᾶλλον δὲ ληρεῖτε ἐκείνων κάκιον καὶ παραφέρεσθε καὶ μᾶλλον ἐοίκατε κραιπαλῶσιν. κάκιον quia in primo membro locum non habet, ab Arnimio seclusum est. Sed ad παραφέρεσθε adverbium desideratur vituperativum; scribe igitur καὶ κάκιον pro κάκιον καί.

6. Loco corrupto ibid. § 87: καὶ δεκαπέντε ἀνθρώπους εὐπόρους sagaciter iam medelam adhibuit Dindorf, qui edit. praef. p. XXVI δεκαπέντε ex δ′ ἢ π′, i. e. τέτταρας ἢ πέντε, corruptum esse docuit. Restat, ut pro εὐπόρους scribas εὐτρόπους.